



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera**

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;  
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

**Gregor <I., Papst>**

**Lutetia Parisiorum, 1675**

Sancti Gregorii Moralis Expositionis In Beatum Job Liber Septimus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)

minis occultatur. Unde & per Psalmistam dicitur: *Abſcondes eos in abdito vultus tui, à conturbatione hominum.* Quod bene etiam comparatio adjuncta commendat, cum subditur: [*Sicut inferitur acervus iritici in tempore suo.*] Frumentum quippe in segete à sole tangitur, quia in hac vita, humana anima respectu superni luminis illustratur: pluvias percipit, quia veritatis eloquio pinguescit: ventis concutitur, quia tentationibus exercetur: & secum crescentes paleas portat, quia nequiores contra se quotidie vitam peccantium tolerat: atque ad aream deductum triturationis pondere premitur, ut à palearum connexionē solvatur: quia mens nostra caelesti disciplinæ supposita, dum correctionis flagella percipit, à focietate carnalium mundiū recedit, & relictis paleis ad horreum ducitur, quia foris remanentibus reprobis, electa anima ad supernæ mansionis gaudia æterna sublevatur. Bene ergo dicitur: [*In gredieris in abundantia sepulcrum, sicut inferitur acervus iritici in tempore suo:*] quia dum post afflictionem justī pramiā patriæ caelestis inveniunt, quasi post pressuras ad horreum grana deferuntur: & in alieno quidem tempore percussiones sentiunt, sed in suo à percussione requiescunt. Electis quippe alienum tempus est vita præsens, unde & quibusdam adhuc infidelibus Veritas dicit: *Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum.* Et rursum: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Sepulcrum ergo in tempore suo sicut frumenti acervus ingreditur, quia ille æ-

ternam requiem percipit, qui prius hic, ut ab exultandis paleis liber sit, disciplinæ pressuras sentit. Eliphaz verò, quia & in locutionis suæ serie tabernaculum, lapides, bestias, semen, herbas, sepulcrumque nominavit, quod non hæc juxta litteram dixerit, ipse innuit, qui post cuncta illico subjungit: [*Eccc hoc, ut investigavimus, ita est.*] Liquec profectò, quod in his verbis nihil ab eo juxta superficiem dicitur, quia nimirum ante faciem non jacet, quod investigatur. Quid ergo hæc investigasse se indicat, nisi quia quod in verbis exterioribus interiora quaesierit, demonstrat? Sed post cuncta ad stultitiam jactantia pervenit, quia protinus subdit: [*Quid auditum, mente pertrita.*] Quantalibet doctrina mens polleat, gravis ejus impericia est, velle docere meliorem. Unde & ea quæ ab amicis rectè prolata sunt, ab interno arbitro non recta judicantur. In eo namque vim suæ rectitudinis amittunt, quod auditori non congruunt: quia & medicamina vires perdunt, cum sanis membris apponuntur. In omni ergo quod dicitur, necesse est ut causa, tempus, & persona pensetur, si verba sententiæ veritas roborat, si hanc tempus congruum postulet, si & veritatem sententiæ, & congruentiam temporis personæ qualitas non impugnet. Ille enim laudabiliter spicula emittit, qui prius hostem quem feriat, conspiciat. Malè namque arcus validi cornua subigit, qui sagittam fortiter dirigens, civem ferit.

S ANCTI GREGORII  
MORALIS EXPOSITIONIS  
IN BEATUM JOB  
LIBER SEPTIMVS.

CAPUT PRIMUM.

**Q**UORUM DAM mentes plus flagella, quàm convicia cruciant: quorundam verò plus convicia, quàm flagella castigant. Nam sæpe contra nos quibuslibet pœnis durius tormenta verborum sæviunt, cumque nos ad defensionem erigunt, in impatientiam sternunt. Unde beato Job ne deesse tentatio ulla potuisset, non solum hunc flagella desuper feriunt, sed graviora plagis amicorum colloquia affligunt: ut sancti viri anima hinc inde pulsata, ad motum iracundiæ & elationis erumperet, & quidquid mundè vixerat, per contumaciam superba locutionis inquinaret. Sed tactus plagis gratias retulit: lacessitus verbis recta respondit, & percussus innorescit, quàm pro minimo salutem carnis habuerit. Loquens quoque indicat, quàm sapiens tacebat. Sed quædam ejus verbis admixta sunt, quæ apud humana judicia patientiæ limitem transire videantur: quæ nos verè intelligimus, si superni

sententiam judicis in eorum examinatione pensamus. Ipse quippe beatus Job & prius contra adversarium prætulit, dicens: *Vidisti seruum meum Job, quod non sit similis ei super terram: vir simplex & rectus, ac timens Deum. & recedens à malo?* Ipse post probationem amicos ejus redarguit, dicens: *Non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Job.* Restat ergo, ut cum mens in beati Job sermonibus fluctuat, eorum pondus ex eisdem historiae initio ac fine pendatur. Ab æterno enim iudice nec casurus laudari potuit, nec lapsus præferri. Si igitur in ambiguitatis tempestate deprehensū, prima hujus historiae & postrema conspiciamus, navis cordis, considerationis suæ funibus, quasi à prora & puppi restringitur, ne in erroris laxa perducatur. Nullis ergo ignorantia nostra procellis obruimur, si tranquillū supernæ sententiæ littus tenemus. Ecce enim dicit, quod quaestione non modice lectoris animum moveat. Sed quis hoc non rectum dicere audeat, quod in Dei auribus rectum sonat?

**R**espondens autem Job dixit: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera: quasi arena maris hæc gravior appareret. Unde & verba mea dolore sunt plena: quia sagitta Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me. Numquid rugiet onager cum habuerit herbam, aut mugiet bos cum ante præsepe plenum steterit? Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? Aut gustare aliquis potest, quod gustatum affert mortem?*

Quæ

Quae prius tangere volebat anima mea, nunc pra' angustia, cibi mei sunt. Quis det ut veniat petitio mea. & quod expecto tribuat mihi Deus, & qui cepit, ipse me conterat: solvat manum suam, & succidat me: & haec mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcatur. Nec contradicam sermonibus Sancti. Quae est enim fortitudo mea, ut sustineam: aut quis finis meus, ut patienter agam? Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea aenea est. Ecce non est auxilium mihi in me, & necessarii quoque mei recesserunt a me. Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit. Fratres mei praeierunt me sicut torrens, qui raptim transit in convallibus. Qui timent pruina, irruet super eos nix. Tempore, quo fuerint dissipati, peribunt: & ut incaluerint, solventur de loco suo. Involuta sunt seminata gressuum eorum: ambulabunt in vacuum, & peribunt. Considerate semitas Theman, itinera Saba, & expectate paulisper. Confusi sunt, quia speravi: venerunt quoque usque ad me, & pudore cooperiti sunt. Nunc venistis, & modo videntes plagam meam, timetis. Numquid dixi, Afferre mihi, & de substantia vestra donare mihi? Vel, Liberare me de manu hostis, & de manu robustorum eruite me? Docete me, & ego tacebo: & si quid forte ignoravi, instruite me. Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum e' vobis nullus sit, qui posuit me arguere? Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis. Super pupillum irrucitis, & subvertere nitimini amicum vestrum. Veruntamen quod cepistis, explete: praebete aures, & videte an mentiar. Respondete queso absque contentione, & loquentes id quod iustum est, iudicate. Et non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.

Quod statera nomine Christus accipitur, qui in se calamitatem nostram & peccata appendit.

## CAPUT II.

Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior in statera: quasi arena maris haec gravior appareret. ] Quis alius statera nomine, nisi Dei & hominum mediator exprimitur? qui ad pensandum vitae nostrae meritum venit, ac secum iustitiam simul & misericordiam detulit: sed misericordiae lance praeponderans, culpas nostras parendo levigavit. In manu etenim Patris, quasi statera miri libraminis factus, hinc in se calamitatem nostram, & illinc peccata suspendit. Sed gravis ponderis calamitatem moriendo innouit, & apud misericordiam suam Deus leve esse peccatum relaxando monstravit. Ergo per veram poenitentiam, quamvis multa & gravissima sint peccata, per misericordiam Dei facile relaxantur: & apud misericordiam suam leve esse peccatum, quod relaxatur, monstravit, qui hoc primum gratiae contulit, quia poenam nostram nobis cognoscibilem fecit. Homo namque ad contemplandum auctorem conditus, sed exigentibus meritis ab internis gaudijs dejectus, in arumnam corruptionis ruens, caecitatem exilij sustinens, culpa suae supplicia & tolerabat, & nesciebat: ita ut exilium patriam crederet, & sic sub corruptionis pondere quasi in salutis libertate gauderet. Sed is quem intus homo reliquerat, assumpta carne, foris apparuit Deus; cumque se exterius praebuit, expulsum foras hominem ad interiora revocavit, ut jam damna sua videat, jam poenarum suae caecitatis ingemiscat. Calamitas ergo hominis in statera gravis apparuit; quia malum quod pertulit, non nisi in praesentia Redemptoris agnovit. Lucem quippe nesciens, damnationis, suae tenebras voluptuose tolerabat: sed postquam vidit quod diligeret, intellexit etiam quod doleret; & grave sensit quod pertulit, quia dulce innouit, quod amisit. Vir igitur sanctus colloquentis amici sententij a claustris silentij excussus, & prophetici spiritus affluentia repletus, dicat sua, dicat humani generis voce: [Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera: quasi arena maris haec gravior appareret. ] Ac si aperte diceret: Damnationis nostrae malum leve creditur, quia necdum cognita Redemptoris aequitate pensatur. Sed utinam veniat, & arumnam tanti exilij misericordiae suae lance suspendat, & quid post exilium requiramus, edoceat. Si enim innouit quod amisimus, grave esse insinuat quod toleramus. Bene

S. Greg. Tom. I.

A autem haec eadem peregrinationis nostrae calamitas maris arenae comparatur. Arena etenim maris, undarum aestu exterius impellitur: quia & delinquens homo, quoniam tentationum fluctus mobiliter pertulit, extra se ab intimis exivit. Magni autem arenae maris est ponderis, sed calamitas hominis arenae maris gravior dicitur: quia dura fuisse poena ostenditur, dum per misericordem iudicem culpa quae levigatur, agnoscitur. Et quia quisquis gratiam Redemptoris agnoscit, quisquis reditum ad patriam diligit, eruditus sub pondere peregrinationis gemit, post statera desiderium recte subjungitur: [Unde & verba mea a dolore sunt plena.] Qui peregrinationem pro patria diligit, dolere etiam inter dolores nescit. Iusti autem verba dolore plena sunt, quia quousque praesentia tolerat, ad alia loquendo suspirat: omne quod peccans pertulit, conspicit: atque ut ad statum beatitudinis redeat, sollicitudine iudicia, quibus affligitur, pensat. Unde subditur: [Quia sagitta Domini in me sunt.] Sagittarum quippe nomine aliquando praedicationis verba, aliquando animadversionis sententiae designantur. Praedicationis namque eloquia sagittis exprimuntur, quia in eos quod vitia feriunt, male viventium corda transfigunt. De his sagittis venienti Redemptori dicitur: Sagitta tua acuta potentissime, populi sub te cadent in corde. De quo Esaias dicit: Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, & in Lydiam, tenentes sagittam, in Italianam & Graeciam. Rursum sagittis, animadversionis percussio designatur, sicut Joas regi per Elisaeum dicitur: Iace sagittam. Quo jacente ait: Percuties Syriam, donec consumas eam. Vir igitur sanctus calamitatem peregrinationis suae arumnam respicit, quia sub percussione Dominicae animadversionis ingemiscit, dicat:

Quod servi Dei in hoc mundo lugeant, & percussiones divinae mentem, ne intumeant, compungant, & ex his qua tolerat, futura formidant.

## CAPUT III.

Unde & verba mea a dolore sunt plena, quia sagitta Domini in me sunt. ] Ac si aperte diceret: Ego in exilij damnatione non gaudeo, sed sub iudicio positus doleo, quia vim percussione agnosco. Plebique autem sunt quos tormenta cruciant, sed non emendant. Quos contra aperte subjungitur: [Quarum indignatio ebibit spiritum meum.] Quid enim est spiritus hominis, nisi spiritus elationis? Sagittae autem Domini spiritum hominis ebibunt, cum supernae animadversionis sententiae afflictam mentem

N

ab elatione compescunt. Sagittæ Domini spiritum A  
hominis ebibunt, quia intentum exterioribus in-  
troitus trahunt. Epotatus namque David spiritus  
fuerat, cum dicebat: *In desiccando in me spiritum  
meum, & tu cognovisti semitas meas.* Et rursus:  
*Ne gravi consolari animam meam, memor fui Dei, &  
delectatus sum, exercitatus sum, & defecit paulisper  
spiritus meus.* Sagittarum ergo indignatio iusti spi-  
ritum ebibit, quia supernæ sententiæ electos, quos  
in peccatis inveniunt, dum vulnerant, immutant;  
et duritiam suam transfixa mens deferat, atque ex  
salutifero vulnere sanguis confessionis currat. Pen-  
sant namque unde, quo lapsi sunt, pensant à quanta  
beatitudine, ad quæ corruptionis suæ tormenta ce-  
ciderunt: & non solum gemunt in his quæ susti-  
nent, sed insuper metuunt hoc quod districtus ju-  
dex delinquentibus de gehennæ ignibus minatur.  
Unde rectè subjungitur: [*Et terrores Domini mili-  
tant contra me.*] Iustorum mens non solum per-  
pendit quod tolerat, sed etiam pavet quod restat:  
videt qualia in hac vita patitur, metuit ne post  
hanc graviora patiatur. Luget quia in hujus cæci-  
tatis exilio à paradisi gaudijs cecidit; timet ne cum  
exilium relinquetur, mors æterna subsequatur. Jam  
ergo sententiam tolerat in pœna, sed minas adhuc  
venturi iudicis formidat ex culpa. Hinc Psalmista  
ait: *In me pertransierunt ira tua, & terrores tui  
conturbaverunt me.* Interni quippe iudicis postquam  
iræ pertransierunt, etiam terrores conturbant: quia  
jam iud de damnatione patimur, & adhuc aliud  
de æterna ultione formidamus. Vir igitur sanctus  
perpendens mala quæ tolerat, dicat: [*Sagittæ Do-  
mini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum  
meum.*] Sed graviora in perpetuum metuens adjun-  
gat: [*Et terrores militant contra me.*] Ac si apertè  
diceret: Percussus quidem de presentibus doleo,  
sed hoc in dolore fit gravius, quia & in pœna posi-  
tus, adhuc supplicia æterna pertimesco. Sed quia  
jam stateræ interventum desiderat, jam mala in qui-  
bus humanum genus cecidit, pensat, quamvis in  
Gentili natione positus, munere tamen prophetici  
spiritus plenus: quo ardore Redemptoris adven-  
tum vel Gentilitas, vel Judæa siciat, verbis sequen-  
tibus demonstrat, dicens:

*Quod onagri & bovis nomine Gentilis & Judaicus D  
populus accipitur, quorum clamor ex-  
peditatio intelligitur.*

## CAPUT IV.

**N**am quid rugiet onager cum habuerit herbam,  
aut mugiet bos cum ante præsepe plenum steterit?  
Quid namque per onagram, id est, agrestem  
asinum, nisi Gentilis populus designatur? quem sicut  
natura extra stabula disciplinæ edidit, ita vagus  
in viciis aptatum suarum campo permansit. Quid  
per bovem, nisi plebs Judæica significatur? quæ  
jugo supernæ damnationis supposita ad spem profely-  
tos colligens, per corda quæ valuit, vomerem  
legis traxit. Sed beati Job vita attestante cogno-  
scimus, ut expectasse Redemptoris adventum, mul-  
tos etiam ex Gentilibus credamus. Et nascente  
Domino, Symeone in spiritu in templum veniente  
didicimus, quanto desiderio ex plebe Israelitica  
sancti viri incarnationis ejus mysterium videre cupierunt.  
Unde & per eundem Redemptorem discipulis dicitur:  
*Dico vobis, quod multi iusti & propheta desideraverunt  
videre que videris, & non viderunt.* Herba ergo onagri,  
& fœnum bovis, est hæc ipsa mediatoris incarnatio,  
per quam simul Gentilitas & Judæa satiatur. Quia enim  
per Prophetam dicitur: *Omnis caro fœnum, universitatis conditor  
ex nostra substantia carnem sumens, fœnum fieri voluit,  
ne nostra in perpetuum caro fœnum remaneret.* Tunc ergo  
herbam onager invenit, cum Gentilis

populus gratiam divinæ incarnationis accepit.  
Tunc bos vacuum præsepe non habuit, cum plebi  
Judæicæ ejus carnem expectanti lex exhibuit, quem  
diu \* expectatum prophetavit. Unde & natus Do-  
minus in præsepe ponitur, ut videlicet signaretur,  
quia sancta animalia, quæ jejuna diu apud legem  
inventæ sunt, incarnationis ejus fœno satiantur.  
Præsepe enim natus implevit, qui cibum semetip-  
sum mentibus mortalium præbuit, dicens: *Qui co-  
medit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in  
me manet, & ego in eo.* Sed quia diu & electorum  
Gentilium vota dilata sunt, & ex Hebræico populo  
sancti quique longo tempore redemptionem suam  
expectando gemerunt, bene beatus Job prophetiæ  
mysteria enarrans, ex utraque natione causas affli-  
ctionis insinuat, dicens: [*Nam quid rugiet onager  
cum habuerit herbam, aut mugiet bos cum ante præsepe  
plenum steterit?*]. Ac si apertè dicat: Idcirco  
Gentilitas gemit, quia eam necdum Redemptoris  
sui gratia reficit: atque ideo Judæa mugitus dilatat,  
quia legem tenens, sed legis auctorem non videns,  
stans ante præsepe jejunit. Quæ nimirum lex, quia  
ante mediatoris adventum nequaquam spiritualiter,  
sed carnaliter tenebatur, rectè subjungitur:

*Quod insulsum cibum comedit, qui legem car-  
naliter accipit.*

## CAPUT V.

**A**ut poterit comedi insulsum, quod non est sale con-  
ditum? In lege sal literæ, est intelligentiæ  
virtus occulta. Quisquis ergo obsequiis carnalibus  
intentus, hanc intelligere spiritualiter noluit, quid  
aliud quam insulsum cibum comedit? Sed hoc in  
cibo sal cognita Veritas misit, cum latere in lege sa-  
porem occultæ intelligentiæ docuit dicens: *Si cre-  
deretis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me  
enim ille scripsit. Et rursus: Habete sal in vobis,  
& pacem habete inter vos.* Sed quia ante mediato-  
ris adventum, Judæa legem carnaliter tenuit, præ-  
ceptis ejus dura jubentibus Gentilitas subdi recusa-  
vit. Insulsum ergo cibum comedere noluit, quæ  
priusquam spiritus condimentum perciperet, servare  
vim literæ expavit. Quis namque Gentilium  
hoc, quod illic præcipitur, ferret, filiorum carnem  
pro obsequio religionis incidere, verborum culpas  
morte refecare? Unde & bene adhuc subditur:  
[*Aut gustare aliquis potest, quod gustatum affert  
mortem?*] Lex namque carnaliter degustata mor-  
tem detulit: quia commissa delinquentium dura  
animadversione distinxit. Mortem detulit, quia  
& per præceptum culpam innotuit, & hanc per gra-  
tiam non delevit, Paulo attestante, qui ait: *Nihil  
ad perfectum perduxit lex.* Et rursus: *Lex quidem  
sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum.*  
Et paulò post: *Peccatum, ut appareat peccatum, per  
bonum mihi operatum est mortem.* Ad Christum verò  
conversa Gentilitas, quia hunc \* signari per verba  
legis intelligit, angustata desiderijs suis, eum quem  
vehementer diligit, inter præcepta carnalia spirita-  
liter requirit.

*Quod iusti quicquid sibi in hac vita amarum est,  
dulce reputant, & quod affligit, re-  
quiem putant.*

## CAPUT VI.

**V**nde & ex voce mox Ecclesiæ per prophetiæ  
spiritum subditur: [*Quæ prius tangere volebat  
anima mea, nunc præ angustia, cibi mei sunt.*] Valde  
namque in errorem labitur, qui beati Job verba ad  
solam prolata historiam suspiciat. Vir enim san-  
ctus, & tot conditoris sui præconijs fultus, quid  
magnum, vel potius quid verum diceret, si insul-  
sum cibum comedi non posse dixisset? Aut quis

Pf. 141  
a  
Psal. 76  
a

Psal. 87  
d

\* al. ce-  
p. d. t. m.

Joan. 5. 6

Joan. 5. 8

Mar. 9. 8

1. Cor. 7. 6

Rom. 7. 12

1. Cor. 13. 12

1. Cor. 13. 12

Luc. 10.

4.

Esa. 40.

5.

ejus efui mortifera alimenta obrulerat, ut subjungat: [Aut poterit aliquis gustare, quod gustatum affert mortem?] Quæ si de amicorum ejus colloquiis dicta sentimus, ab intellectu hoc sententiâ subjunctâ compescimur, quia ait: [Quæ prius tangere volebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.] Absit enim, ne vir sanctus in status sui incolunitate constitutus, amicorum suorum aliquando dicta despexerit: qui, sicut ipso attestante post didicimus, & servis humilis fuit. Verba ergo ejus à mysteriis non vacant: quæ, sicut ex fine historie discimus, & internus arbiter laudat. Quæ nequaquam etiam cum tanta veneratione usque ad mundi extrema decurrerent, si intellectu mystico grvida non fuissent. Beatus igitur Job, quia membrum sanctæ est Ecclesiæ, ejus etiam loquatur ex voce, dicens: [Quæ prius tangere volebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt:] quia nimirum amoris sui æstibus anxia cibum scripturæ veteris conversa Gentilitas esurit, quem dudum superba despexit. Quæ tamen & Judææ vocibus congruunt, si paulo consideratius differantur. Ipsa quippe ex eruditione legis, ex unius Dei cognitione sal habuit, & cunctas gentes tanquam animalia bruta despexit. Sed quia societatem Gentilium ad semetipsam recipere præceptis legis erudita contempserat, quid aliud quam insulsum cibum sumere fastidiebat? Divina quippe sententiâ, proposita morte veterat, ne plebs Israelitica fœdus cum alienigenis jungeret, & vitam sanctæ religionis inquinaret. Unde & subditur: [Aut gustare aliquis poterit, quod gustatum affert mortem?] Sed quia ad Redemptoris fidem hæc eadem Judæa ex electorum parte conversa est, lucem quam cognoverat, prædicare per sanctos Apostolos suæ proli infidelibus satagebat. Ejus autem prædicationis obsequium Hebræorum superbia repulit. Unde mox ad collectionem Gentium exhortationis suæ verba declinavit, sicut & per eosdem Apostolos dicitur: [Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repulistis illud, & indignos vos iudicastis æterna vita, ecce convertimur ad Gentes.] Unde hoc quoque loco aptè subjungitur: [Quæ prius tangere volebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.] Judæa quippe vitam Gentilium dedignata, eam dudum quasi tangere noluit, cujus societatem recipere speravit: sed ad Redemptoris gratiam veniens, ab Israelitis infidelibus repulsa, dum per sanctos Apostolos ad collectionem se Gentilium dilatat, quasi hoc in cibum esuriens accipit, quod indignum prius fastidiosa despexit. Prædicationis enim suæ angustias pertulit, quæ apud Hebræos despici quod loquebatur, vidit. Sed præ angustia cibos, quos dudum contempserat, comedit: quia repulsa Judæorum duritia, Gentiles suscipere populos quos despexerat, concupiscit. Quia igitur hæc figuratiter diximus, restat nunc ut moraliter inquiramus.

Vir sanctus Redemptoris adventum sub statere appellatione desiderans, dum per se eloquium aperit, nos ad vivendi studium erudit: dum sua narrat, quædam nostra indicat: dum de se quæ recognoscimus insinuat, nos ad spem trepidos infirmosque confirmat. Jam quippe per fidem mediatoris vivimus, & tamen adhuc pro expurgatione victorum, dura animadversionis intimæ flagella sustinemus. Unde & post statere desiderium subdit: [Quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio etibus spiritum meum.] Sed ecce, ut superius dictum est, & divinæ correptionis percussione configimur, & tamen adhuc illud est gravius, quod terrore venturi judicis ex æterna animadversione formidamus. Unde protinus subinfertur: [Et terrores Domini militant contra me.] Debet tamen à metu & dolore animus excuti, & ad sola æterna patriæ desideria extendi. Tunc enim nobilitatem nostræ regenera-

S Greg. Tom. I.

tionis ostendimus, si cum ut patrem diligimus, quem nunc fervili mente ut dominum formidamus. Unde & per Paulum dicitur: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.* Pondus itaque formidinis mens electi postponat: in virtute se amoris exerceat, renovationis suæ dignitatem desideret, ad conditoris sui speciem anhelet: quem quousque conspiciere non valet, æternitatem ejus necesse est, id est, intimum cibum suum esuriens, expectet. Unde & aptè subditur: [Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam, aut mugiet bos cum ante præsepem plenum steterit?] Qui alij onagri appellatione signati sunt, nisi hi qui in campo fidei constituti, nullius officij loris ligantur? Vel quos bovis significatio exprimit, nisi hos, quos intra sanctam Ecclesiam ad prædicationis officium, suscepti ordinis jugum premit? Herba verò onagri, & pabulum bovis, est interna refectio populi fidelis. Alij namque more bovis intra Ecclesiam suscepti officij loris tenentur: alij more onagri sacri ordinis stabula nesciunt, & in campo propriæ voluntatis degunt. Sed cum quis ex vita sæculari internæ visionis desiderio æstuat, cum refectiois intimæ pabulum concupiscit, cum jejunum se in peregrinationis hujus cæcitate considerans, quibus valet fletibus reficit: quasi herbam non inveniens onager rugit. Alius quoque necessitatem suscepti ordinis tolerat, in labore prædicationis excludat, & per æternam jam contemplationem refici appetit: sed quia Redemptoris sui speciem necdum conspicit, quasi bos ad præsepem vacuum ligatus gemit. Quia enim longè ab interna sapientia positi, æternæ hereditatis non cernimus viriditatem, velut bruta animalia à desiderata herba jejunamus. De qua nimirum herba Redemptoris voce dicitur: *Per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.* Sed plerumque quod esse amantibus gravius solet, sanctis bonorum studiis malorum vita contradicit: & cum mens ad cælestis desiderium rapitur, bene cæpta intentio, interrumpentibus stultorum verbis ac moribus, reverberatur: ita ut quæ jam per contemplationis aditum ad summa evolaverit, ad expugnandam pravorum stultitiam sese in infimis contra certamina accingat. Unde & subditur: [Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum?] Verba quippe morelque carnalium, quasi cibum se nostris mentibus ingerunt, ut in delictationis ventre rapiantur. Sed electus quisque insulsum cibum non comedit, quia pravorum dicta factaque dijudicans, ab ore cordis repellit. Paulus ad esum mentium inferri insula prohibuit, cum discipulis dixit: *Sermo vester semper in gratia sale sit.* in cordis ore insula sapuerunt: cum dicat: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ita uti lex tua Domine.* Sæpe autem carnalium verba dum se importunè nostris auribus ingerunt, in corde bellum tentationis gignunt: & quamvis hæc & ratio respuat, & lingua reprehendat; cum labore tamen intus vincitur, quod foris cum auctoritate dijudicatur. Unde necesse est, ut nec ad aures veniat, quod mens à cogitationis aditu vigilans repellat. Sancti igitur viri cum æternitatis desiderii anhelant, in tantam altitudinem vitæ se sublevant, ut audire jam quæ mundi sunt, grave sibi ac deprensivum pondus credant. Valde namque insolens atque intolerabile æstimant, quidquid illud non sonat quod intus amant. Sed sæpe mens jam per desiderium ad sublimia rapitur, jam funditus ab stulta terrenorum hominum locutione separatur, nec tamen adhuc pro amore veritatis ad perferendos præsentis vitæ cruciatus accingitur: jam superna appetit, jam in infimis stulta contemnit, sed necdum

N ij

se ad perferendā adversitatis tolerantiam dirigit. Unde & subditur: *[Aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem?]* Durum quippe est appetere quod cruciat, sequi quod vitam fugat. Sed plerumque mens iusti ad tantum se virtutis culmen extendit, ut & apud se in internā rationis arce præsideat, & quorundam foris stultitiam tolerando convertat. Quos enim ad fortia trahere nitimur, eorum necesse est ut infirma toleremus: quia nec jacentem erigit, nisi qui status sui rectitudinem per compassionem fleat. Cū verò alienā infirmitati compatimur, valentiū à nostra roboramur, ut amore futurorum mens ad præsentia adversa se præparet, & cruciatus corporis quos timebat, expectet. Auctis namque desiderijs celestibus angustatur; cumque patriæ quanta sit dulcedo considerat, pro ea præsentis vitæ amaritudines ardentem amat. Unde post infalsi cib fastidium, post impossibilem mortis gustum, rectè subjungitur:

*Quod electi cum in aliquo se offendisse noverim, & nulla eis pro male gestis irrogantur adversa, timent ne in æternum gratia deserat, quos in præsentia vita nulla mali sui retributio castigat.*

## CAPUT VII.

**Q**uæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia, cibi mei sunt. Mens enim iusti proficiens, quæ prius dum sola propria curaret, ferre aliena fastidiebat, & quæ minus alienis compatiens, convalescere contra adversa non poterat: cum ad toleranda proximi infirma se attrahit, ad adversa superanda convalescit, ita ut pro amore veritatis, præsentis vitæ cruciatus tantò post fortius appetat, quantò prius infirma fugiebat. Inclinatione namque sua erigitur, attractione tenditur, compassione roboratur: cumque in amorem proximi se dilatat, quasi ex meditatione colligit, quanta fortitudine in auctorem furgat. Caritas namque, quia nos ad vim compassionis humiliat, aliud in culmine contemplationis levat: & multiplicata jam majoribus desiderijs æstuat, jam pervenire ad vitam spiritus, etiam per cruciatus corporis anhelat. Quod ergo prius tangere nolebat, hoc postea præ angustia comedit, qui desideria sua vix capiens, & ipsas quas dudum timebat, jam pro amore celestis patriæ pœnas amat. Si enim mens in Deum forti intentione dirigitur, quicquid sibi in hac vita amarum sit, dulce æstimat: omne quod affligit, requiem putat: transire & per mortem appetit, ut obtinere plenius vitam possit: funditus extingui in infimis desiderat, quò verius ad summa conscendat. Sed hæc de cuiuslibet iusti animo, hæc de beati Job mente mentior, nisi ipse subjungat: *[Quis dei ut veniat peritio mea, & quod expello tribuat mihi Deus, & qui cepit, ipse me conterat: solvat manum suam, & succidat me, & hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat?]* Sed hæc fortasse per contumaciam expetit, fortasse in eo quòd se perfectè extingui desiderat, in iustitiam ferientis accusat. Absit hoc. Nam qua mente id expetat, verbis sequentibus demonstrat, dicens: *[Nec contradicam sermonibus Sancti.]* Nequaquam ergo de iniustitia percutientis murmurat, qui percussorem suum & inter verbera Sanctum vocat. Sciendum verò est, quia aliquando nos adversarius, aliquando autem conterit Deus. Ex contritione autem adversarij, à virtute deficimus; per contritionem verò Domini fracti, à vitijs in virtute roboramur. Hanc contritionem Propheta prospexerat, cum dicebat: *Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli conteres eos.* In virga nos ferrea Dominus regit & conterit, quia dispensationis suæ forti rectitudine cum nos interiùs reficit, exterius affligit. Nam quò virtutem carnis humiliat, intentio-

**A** nem spiritus exaltat. Unde & hæc eadem contritio figuli vasi comparatur, sicut & per Paulum dicitur: *Habemus thesaurum istum in vasibus fictilibus, Qui simul contritionem & regimem exprimens, ait: Licet is qui foris est, noster homo corrumpitur; tamen is qui intus est, renovatur de die in diem.* Sanctus igitur vir, qui appropinquare Deo etiam per flagella desiderat, per spiritum humilitatis dicat: *[Quis cepit, ipse me conterat.]* Plerumque enim vitiorum contritionem in nobis agere Dominus inchoat: sed cum mens ex ipso exordio profectus extollitur, cumque se jam quasi de virtutibus erigit, scienti contra se adversario aditum pandit, qui cordis intima penetrans, omne quod in ea de studio bonæ inchoationis invenerit, confringit; tantoque se vehementius in ejus confectione exhibet, quantò & gravius, quia vel ad modicum fuerat projectus, dolet. Unde & teste Evangelio, voce Veritatis, ad neglectam domum conscientia spiritus immundus dicitur: *qui solus exiit, cum spiritibus septem redit.* Ne ergo post divinæ correptionis exordia antiquus hostis subripiat, atque ad virtutum confectionem trahat, sanctus vir congruè exorat, dicens: *[Qui cepit, ipse me conterat.]* Ac si aperte dicat: Hoc, quod in me exorsus est, perficere feriendo non desinat, ne desertum me adversario ad contritionem tradat. Unde & aptè subditur: *[Solvat manum suam, & succidat me.]* Sæpe namque fiducia longæ prosperitatis inflati, in quodam statu elationis erigimur. Cumque nos extolli conditor conspiciat, sed amorem suum erga nos per verbera non exercet, quasi ad feriendam nostram vitia manum ligatam tenet. An non affectus sui manum ligaverat, cum peccanti populo dicebat: *Iam non viscar tibi: & Zelus meus recessit à re?* Solvere ergo manum suam dicitur cum exercet affectum. Rectè autem subjungitur: *[Et succidat me.]* Cū enim securos nos ac de virtutum affluentia elatos, repentinus vel flagelli dolor, vel infirmitatis tentatio percussit, protinus ab status sui vertice mentis nostræ elatio succisa cadit; ut de femetipsa nihil audeat, sed infirmitatis suæ ictu prostrata, manum levantis quærat. Hinc est quòd sancti viri cum de occulta erga se dispositione suspecti sunt, plus prospera ipsa pertimescunt: tentari appetunt, flagellari concupiscunt, quatenus incautam mentem metus & dolor erudiat, ne in hæc peregrinationis via, hoste ex insidijs erumpente, suam deterius securitas sternat. Hinc Psalmista ait: *Proba me Domine, & tenta me.* Hinc iterum dicit: *Ego ad flagella paratus sum.* Quia enim viri sancti mentis suæ corruptionis vulnus sine putredine non esse considerant, libenter se sub manu medici ad sectiones parant: ut aperto vulnere, virus peccati exeat, quod sana cute intus occidebat. Unde & adhuc subditur: *[Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat.]* Electi quique cum perpetrasse se illicita noverunt, sed perferuntantes inveniunt, quia nulla pro illis adversa percipiunt, in immensa formidinis terrore tabescunt, pavore æstuant, sinistris agitati suspicionibus laborant; ne in æternum se gratia deserat, quos in præsentia vita mali sui retributio nulla castigat; timent, ne ultio quæ suspenditur, gravior in fine servetur: feriri paterna correptione desiderant, & dolorem vulneris medicamina salutis putant. Rectè ergo nunc dicitur: *[Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat.]* Ac si aperte diceretur: Quia ideo hic quibusdam parcat, ut eos in perpetuum feriat; ideo me hic feriat, ut non parcendo, in perpetuum parcat. Ex afflictione enim consolor, quia corruptionis humane putredinem sciens, ad spem salutis ex vulnere certus reddor. Quod quia non tument, sed humili mente edidit, subjungendo, ut prædiximus, patefacit, dicens: *[Nec contradicam sermonibus Sancti.]* Plerumque ad nos verba Dei

*1. sal. 2.*

non sunt dictorum sonitus, sed effectus operatio-  
num. In eo enim nobis loquitur, quod erga nos  
tacitus operatur. Beatus igitur Job sermonibus Dei  
contradiceret, si de ejus percussione murmuraret.  
Sed quid de percussore suo sentiat, indicat, qui  
(sicut jam diximus) quem ferientem tolerat, san-  
ctum vocat. Sequitur:

*Quid sit fortitudo iustorum, & quid  
reproborum.*

## CAPUT VIII.

**Q**ua est enim fortitudo mea, ut sustineam: aut  
quis finis meus, ut patienter agam? Sciendum  
quod alia iustorum, atque alia est fortitudo repro-  
borum. Iustorum quippe fortitudo, est carnem  
vincere, propriis voluntatibus contraire, delecta-  
tionem vitae praesentis extinguere, hujus mundi as-  
pera pro aeternis premiis amare, prosperitatis blandi-  
menta contemnere, adversitatis metum in corde  
superare. Reproborum vero fortitudo, est transito-  
ria sine cessatione diligere, contra flagella condito-  
ris insensibiliter perdurare, ab amore rerum tem-  
poralium nec ab adversitate quiescere, ad inanem  
gloriam etiam cum vitae detrimento pervenire, ma-  
litiæ augmenta exquirere, bonorum vitam non so-  
lum verbis ac moribus, sed etiam gladiis impugna-  
re, in semetipsis spem ponere, iniquitatem quotidie  
sine ullo desiderij defectu perpetrare. Hinc est,  
psal. 30. quod per Psalmistam dicitur ad electos: *Viriliter  
agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui spera-  
tis in Domino.* Hinc per Prophetam reprobis dicitur:  
Esa. 30. *Va qui potentes estis ad potandum vinum, &  
viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Hinc per Salo-  
monem dicitur, quod sancti quique sine ulla debi-  
litate desiderij internam requiem contemplantur:  
Cant. 3. *En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt, ex  
fortissimis Israel.* Hinc Palmista contra reprobos in  
passione positi voce Redemptoris insinuans, ait:  
psal. 58. *Ecce occupaverunt animam meam, & irruerunt in  
me fortes. Quam bene utramque fortitudinem*  
Esa. 40. *Eliaas complexus est, dicens: Qui confidunt in Do-  
mino, mutabunt fortitudinem. Qui enim nequa-  
quam sument, sed mutabunt dixit: profecto paten-  
ter innovit, aliam esse quæ \* proponitur, & aliam  
quæ inchoatur. An non etiam reprobi fortes sunt,  
qui ad praesentis vitae concupiscentiam tot labori-  
bus currunt, periculis se audenter objiciunt, pro  
lucris contumelias libenter ferunt, ab appetitu sui  
libidine nulla victi contrarietate resiliunt, percus-  
sionibus durefcunt, & mala mundi tolerant pro  
mundo, ejusque ut ita dixerim, gaudia quærentes  
perdunt, nec tamen hæc perdendo fatigantur?  
Unde bene ex humani generis voce per Hieremiam  
dicitur: *Inebriavit me absinthio.* Ebrius quippe quod  
patitur nescit. Absinthio ergo ebrius est, qui præ  
amore praesentis sæculi, à sensu rationis alienus,  
dum quidquid pro mundo sustinet, leve deputat,  
laboris amaritudinem quam tolerat, ignorat: quia  
nimirum delectabiliter ad cuncta ducitur, in qui-  
bus pœnaliter fatigatur. At contra vir justus ad  
mundi pericula pro mundo toleranda esse debilis  
studet, finem suum conspicit, vita praesens quam  
sit transitoria, attendit, & pro ea exterius labores  
perpeti renuit, cujus intrinsecus delectationem vi-  
cit. Beatus igitur Job praesentis vitae adversitatibus  
pressus, dicat ex sua, dicat ex omnium voce iusto-  
rum: *[Quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam:  
aut quis finis meus, ut patienter agam?]* Ac si  
apertè insinuet, dicens: Mala mundi pro mundo  
tolerare nequeo, quia jam in ejus desiderio fortis  
non sum. Dum enim praesentis vitae finem conspi-  
cio, cur \* pondus cruciatu ejus patior, cujus ap-*

petitum calco? Et quia injusti quique, ut dixi-  
mus, tantò fortius labores illius perferunt, quan-  
tò avidius ejus delectatione pascuntur, rectè  
mox eandem reproborum fortitudinem subdit,  
dicens:

*Quod nonnulli reprobi ex percussione sicut lapides  
indurantur, alij vero in percussione consoni,  
resonant sine correptione.*

## CAPUT IX.

**N**ec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro  
mea anea est. Quid hoc loco arc ac lapidi-  
bus, nisi insensibilium hominum corda signantur?  
Qui sæpe & supernos ictus accipiunt, & tamen nul-  
la disciplina percussione mollescunt. Quod contra  
electis per Prophetam, pollicente Domino, dicitur:  
*Tollam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor car-  
neum.* Paulus quoque ait: *Si linguis hominum lo-  
quar & Angelorum, charitatem autem non habeam,  
factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens.*  
Scimus autem quoniam percussi lapides clurum so-  
num reddere nequeant: æs vero cùm percussus,  
canorus valde sonitus ex ejus percussione formatur.  
Quod quia ut lapides, vita caret, sensum in sonitu  
non habet. Sed sunt nonnulli, qui lapidibus simi-  
les, ita ad pietatis præcepta duraverunt, ut cùm  
eos percussio supernæ animadversionis examinat,  
nequaquam sonitum humilis confessionis reddant.  
Quidam vero à metallo æris in nullo discrepantes,  
cùm flagella supernæ percussione accipiunt, piæ  
confessionis sonitum emittunt. Sed quia humilitatis  
voces ex corde non proferunt, ad statum salutis re-  
ducti, nesciunt quod promiserunt. Illi ergo more  
lapidum percussi, nec voces habent: isti autem in  
nullo æris imitationem fugiunt, qui in percussione  
positi, bona quæ non sentiunt, loquuntur. Illi ve-  
nerationem ferientis & verbera denegant: isti polli-  
centes quod non implent, sine vita clamant. Vir  
igitur sanctus reproborum duritiam inter verbera  
fugiens, dicat: *[Nec fortitudo lapidum fortitudo  
mea, nec caro mea anea est.]* Ac si apertè fateatur,  
dicens: Reproborum similitudinem sub disciplina  
verbere fugio, quia nec more lapidum ita obdurai,  
ut sub percussione stimulo à ministerio confessionis  
obmutescam: nec rursus quasi æs vocem confessio-  
nis resonem, & sensum vocis ignoro. Sed quia ad  
percussione reprobi debiliter fortes sunt, electi  
autem valenter infirmi: beatus Job dum fortem  
se per insaniam non esse asserit, fortem se per sta-  
tum salutis innotescit. Unde ergo hanc eandem  
fortitudinem perceperit, patenter insinuet, ne si  
sibi vires, quas habet, arroget, potenter ad mor-  
tem currat. Plerumque enim virtus habita, dete-  
rius quàm si deesset, interficit: quia dum ad sui  
confidentiam mentem erigit, hanc elationis gladio  
transfigit. Cumque eam quasi roborando vivifi-  
cat, elevando necat; ad interitum videlicet pertra-  
hit, quam per spem propriam ab internæ fortitudi-  
nis fiducia evellit. Sed quia beatus Job & virtute  
polles, & in semetipso fiduciam non habet, atque  
ut ita dixerim, vires infirmus habet, aprè subjun-  
git, dicens: *[Ecce non est auxilium mihi in me.]*  
Pater jam, ad cujus spem percussi animus recurrat,  
cùm in se sibi auxilium esse denegat. Sed quia in-  
firmum se in semetipso insinuat, ad majoris adhuc  
fortitudinis meritum, quomodo etiam à proximi-  
s destituatur, adjungit: *[Necessari quoque mei  
recesserunt à me.]* Sed ecce despectus exterius,  
intus solio judicij præsidet. Nam cùm derelictum  
se asserit, protinus ad sententiam erumpit, di-  
cens:

De ordine charitatis, & quod in prosperitate dilectio vix agnoscatur.

## CAPUT X.

**Q**ui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit. Quis hoc loco amici nomine, nisi quilibet proximus designatur? Qui eò fidelius nobis jungitur, quò percepto nunc à nobis boni operis exemplo, ad obtinendam post aeternam patriam veraciter auxiliatur. Quia autem duo sunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor, & proximi: per amorem Dei, amor proximi gignitur, & per amorem proximi amor Dei nutritur. Nam qui amare Deum negligit, profectò diligere proximum nescit: & tunc plenius in dilectione Dei proficimus, si in ejusdem dilectionis gremio prius proximi charitate\* ligamur. Quia enim amor Dei amorem proximi generat, dicitur per legem Dominus: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*; præmisit, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum*; ut scilicet in terra pectoris nostri, prius amoris sui radicem figeret, quatenus per ramos postmodum dilectio fraterna germinaret. Et rursum quia amor Dei ex proximi amore coalescit, testatur Joannes, qui increpat dicens: *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Quæ tamen divina dilectio per timorem nascitur, sed in affectum crescendo permutatur. Sæpe verò omnipotens Deus ut quantum quisque à charitate ejus ac proximi longè sit, vel in ea quantum profecerit innotescat, miro ordine cuncta dispensans, alios flagellis deprimit, alios successibus fulcit. Et cum quosdam temporaliter deserit, in quorundam cordibus quæ malalarent, ostendit. Nam plerumque ipsi nos miseros insequuntur, qui felices sine comparatione coluerunt. Cum enim quis positus in prosperitate diligitur, incertum valde est, utrum prosperitas, an persona diligatur. Amissio autem felicitatis interrogat vim dilectionis. Unde bene quidam sapiens dicit: *Non agnoscur in bonis amicis, & non absconditur in malis inimicis.* Nec prosperitas quippe amicum indicat, nec adversitas inimicum celat; quia & ille sæpe prosperitatis nostra reverentiâ regitur, & iste ex confidentia adversitatis aperitur. Vir igitur justus in flagellis positus dicat: *[Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit:]* quia nimirum qui ex adversitate proximum despicit, apertè convincitur quòd hunc in prosperis non amavit. Et cum omnipotens Deus ideo flagello quosdam cruciet, ut & percussos erudiat, & non percussis occasionem boni operis præbeat; quisquis percussus despicit, occasionem à se virtutis repellit; & tantò se nequius contra auctorem erigit, quantò hunc nec pium in salute præcipia, nec justum in alieno vulnere agnoscit. Intuendum verò est, quòd beatus Job sic sua loquitur, ut totius quoque electi populi per eum vita signetur. Quia enim ejusdem populi membrum est, cum quæ ipse patitur narrat, ea etiam quæ sustinet ille, denunciat, dicens: *[Fratres mei præterierunt me sicut torrens, qui raptim transit in convallibus.]* Reproborum mens quia sola præsentia diligit, plerumque nunc tantò aliena existit à verberare, quantò post extranea remanet ab hereditate; & superba justos despicit, quos paterna misericorditer severitas affligit. Sæpe verò reprobi eamdem fidem, qua vivimus, retinent, eadem fidei sacramenta percipiunt, ejusdem religionis unitate continentur; sed tamen compassionis viscera nesciunt, charitatis vim, qua in Deum flagramus & proximum, non agnoscent. Rectè ergo & fratres & prætereuntes vocantur, quia ex uno matris gremio nobiscum per fidem prodeunt, sed in uno cha-

**A**ritatis studio erga Deum & proximum non figuratur. Unde etiam aptè torrenti, qui raptim transit in convallibus, comparantur. Torrens namque ex montanis ad ima defluit, & collectus himalibus pluviis, æstivis solibus arefcit. Qui enim terrena diligentes, spem supernæ patriæ deserunt, quasi ex montibus valles petunt; quos tamen hiems præsentis vitæ multiplicat, sed æstas venturi judicij exsiccat; quia cum sol supernæ distractionis incanduerit, reproborum lætitiâ in ariditatem vertit. Bene ergo dicitur: *[Raptim transit in convallibus.]* Torrentem quippe ad convalles raptim transire, est pravorum mentes ad ima desideria sine ullo obstaculo ac difficultate descendere. Omnis enim ascensus in labore est, descensus in voluptate: quia per adnsum gressus ad superiora tenditur, per remissionem verò ad inferiora declinat. Ad montis enim verticem saxum subvehere magni laboris est, idemque à summis ad ima dimittere labor non est. Sine mora videlicet proruit, qui magnis conatibus ad summa pervenit. Longo studio seges feritur, sole atque imbre diutino nutritur; sed tamen unâ & subitâ scintillâ consumitur. Paulisper ædificia ad alta proficiunt, sed repentinis casibus terram petunt. Robusta arbor in æra per tardâ incrementa se erigit; sed quiddam diu ad alta protulit, semel & simul cadit. Quia igitur ascensus in labore est, descensus in voluptate, rectè nunc dicitur: *[Fratres mei præterierunt me sicut torrens, qui raptim transit in convallibus.]* Quod tamen sentiri & aliter potest. Si enim convalles ima pœnarum loca intelligimus, in justis quique sicut torrens raptim ad convalles transeunt, quia in hac vita, quam totis desiderijs appetunt, diu stare nequaquam possunt. Nam quot dies ætatis accipiunt, quasi tot quotidie gressibus ad finem tendunt. Augeri sibi optant tempora, sed quia concessa subsistere nequeunt, quot augmenta vivendi percipiunt, diu vivendi spatia totidem perdunt. Momenta ergo temporum quòd sequuntur, fugiunt, quò accipiunt amittunt. Raptim itaque ad convalles transeunt, qui in longum quidem voluptatum desideria pettrahunt, sed ad inferni claustra repente deducuntur. Quia enim hoc etiam tempus, quod qualibet longævitate extensum est, si sine clauditur, longum non est, ex sine miseri collegerunt breve fuisse, quod amittendo tenuerunt. Unde bene & per Salomonem dicitur: *Si multis annis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.* Stulta etenim mens cum malum repente invenerit, quod nequaquam præterit, aternitatem ejus tolerando intelligit, quia quod præterire potuit, vanum fuit. Sciendum verò est quòd plerique agere recta desiderant; sed sunt nonnulla, quæ infirmis eorum mentibus ex præsentia vita contradicunt: cumque adversa in infimis perpeti metuunt, in superni judicij recitidine offendunt. Unde rectè subjungitur:

*Quod hi qui temporalium damnorum metu veritatem, vel justitiam vel ceteras virtutes prætermittunt, celestis ire vindictam incurrunit.*

## CAPUT XI.

**Q**ui timent pruinam, irruet super eos nix. Prui-  
na quippe inferius\* gelatur, nix autem de su-  
perioribus ruit. Et sæpe nonnulli dum temporalia  
adversa pertimescunt, distractioni se aeterna ani-  
madversionis obsecunt. De quibus bene per Psal-  
mistam dicitur: *Illic trepidaverunt timore, ubi non  
erat timor.* Ille namque veritatem jam liberè defendere  
appetit, sed tamen in ipso suo appetitu trepidus  
indignationem potestatis humanae pertimescit:

\* ad. lac.  
tamur.  
Dent. 6.

1. Joan.  
4. d.

Eccle. 12.  
6.

121

Eccle. 11.

11.  
\* ad. 8c.  
lascit,

1. sal. 13.



cumque in terra hominem contra veritatem pavet, ejusdem veritatis iram cælitus sustinet. Ille peccatorum suorum conscius, ea quæ possidet, indigentibus jam largiri desiderat; sed tamen ne datis rebus egeat, ipse formidat. Cumque carnis subsidia reservando trepidus præparat, ab alimentis misericordie animam necat. Et cum pati in terra inopiam metuit, æternam sibi abundantiam supernæ refectio- nis abscindit. Rectè ergo dicitur: [ *Qui timent pruinam, irruet super eos nix.* ] Quia qui conculcanda in infimis metuunt, à summis metuenda patiuntur: & cum transire nolunt quod calcare poterant, judicium de supernis excipiunt, quod tolerare nequaquam possunt. Sed hæc agentes, mundi gloriam temporaliter obtinent. Quid autem tempore vocationis suæ facturi sunt, cum cuncta simul pavidi deserunt, quæ hic cum gravi timore servaverunt: Unde & aptè subditur: [ *Tempore quo fuerint dissipati, peribunt.* ] Quos enim præsentis vitæ sollicitudo ordinat, amissio dissipat: & tunc etiam exterius pereunt, qui intus dudum æterna negligendo perierunt. De quibus rectè additur: [ *Et in incaluerint, solventur de loco suo.* ] Iniquus enim quisque cum incaluerit, de loco suo solvetur: quia judicio intimæ districtio- nis appropinquans, cum jam per cognitionem pæne fervere cœperit, ab ea, cui dudum inhæserat, carnis suæ delectatione se- paratur. Hinc est enim, quod per Prophetam de reprobis dicitur: *Et tantummodo sola vexatio intel- lectum dabit audiri:* quia videlicet æterna non intel- ligunt, nisi cum pro temporalibus jam sine emenda- tione puniuntur, tunc mens æstuat, & infructuo- sæ pœnitentiæ se ignibus inflammat, duci ad sup- plicium timet, præsentem vitam ex desiderio reti- net: sed de loco suo solvitur, quia oblectamenta carnis deserens, ejus dicitia per supplicium liqua- tur. Sed quia iniqui omnes quid abstractionis suæ tempore patiantur audivimus, adhuc aliqua, qui- bus in libertatis suæ spatio implicantur, audiamus. Sequitur:

*Quod peccatum ex peccato nascatur, mira & subtilis distinctio: & quid sit, quod per Esaiam dicitur: Erat cubile draconum, & pascua struthionum.*

## CAPUT XII.

14. *Involuta sunt semita gressuum eorum.* ] Omne quod involvitur, in semetipsum replicatur. Et sunt nonnulli, qui seducen- tibus vitiis obviare quasi tota intentione deliberant, sed irruente tentationis articulo, in deliberationis proposito non per- dunt. Alius namque pravo usu superbiæ inflatus, cum magna esse præmia humilitatis considerat, ad- versum semetipsum se erigit, & quasi tumorem turgidi fastus deponit, exhibere se quibuslibet contumeliis humilem promittit: sed cum repente hunc unius injuria verbi pulsaverit, ad consuetam protinus elationem redit, sicque ad tumorem ducitur, ut nequaquam quia humilitatis bonum concupie- rat recorderetur. Alius avaritiâ æstans, augendis facultatibus anhelat: is cum præterire omnia velo- citer conspicit, vagantem per concupiscentias men- tem figit, decernit jam nihil appetere, & adepta tantummodo sub magni moderaminis fræno posside- re: sed cum repente fuerint oculis oblata quæ placeant, in ambitione protinus mens anhelat, semet- ipsam non capit, adipiscendi hæc occasionem qua- rit, & oblita continentia quam secum pepigerat, cogitationum se stimulis per desideria acquisitionis inquietat. Alius luxuriæ tabe polluitur, & longa jam consuetudine captus tenetur: quanta autem castitatis sit munditia conspicit, & à carne vinci turpe deprehendit. Restringere ergo voluptatum fluxa deliberat, & resutare consuetudini, quasi toris se viribus parat. Sed vel objecta oculis specie,

vel ad memoriam reducta, cum \* subjecta tenta- \* al. ta- tione concutitur, protinus à pristina præparatione bita dissipatur. Et qui contra hanc clypeum deliberatio- nis crexerat, delectationis jaculo confossus jacet: sicque cum luxuria enervem superat, ac si nulla contra eam intentionis arma præparasset. Alius ve- rò iracundiæ flammis accenditur, ejusque stimulis ad inferendas proximis contumelias effrenatur. Cum verò nulla furoris animum occasio pullat, quanta sit mansuetudinis virtus, quanta patientia- altitudo considerat, seque etiam contra contume- lias patienter parat: sed cum parva qualibet com- motionis occasio nascitur, repente ad voces & con- tumelias medullitus inflammat: ita ut non solum ad memoriam patientia promissa non redeat, sed & semetipsam mens, & ea quæ loquitur, convicia non agnoscat. Cumque furori plenè satisfecerit, quasi post exercitium in tranquillitatem redit: & tunc se ad silentij claustra recolligit, cum lingua non patientia, sed procacitatis suæ satisfactio tri- xum ponit. Vix igitur vel sero post convicia illata se cohibet, quia & à cursu sæpe spumantes equos non præsentis dextera, sed campi terminus coër- cet. Bene ergo de reprobis dicitur: [ *Involuta sunt semita gressuum eorum;* ] quia recta quidem delibe- rando appetunt, sed ad consueta semper mala re- plicantur, & quasi extra se tensi, ad semetipsos per circuitum redeunt, qui bona quidem cupiunt, sed à malis nequaquam recedunt. Esse quippe humi- les, sed tamen sine despectu: esse contenti propriis, sed sine necessitate: esse casti, sed sine maceratione corporis: esse patientes, sed sine contumeliis vol- unt: cumque adipisci virtutes quarunt, sed labores virtutum fugiunt, quid aliud quàm exhibere belli certamina in campo nesciunt, & triumphare in ur- bibus de bello concupiscunt? Quamvis hoc, quod eorum semita involuta memorantur, adhuc intel- ligi & aliter possit. Sæpe namque nonnulli contra quædam se vitia vehementer accingunt, sed quæ- dam subigere negligunt: cumque se contra ista non erigunt, & illa contra se reparant, quæ subegerunt. Alius namque jam carnem à luxuria edomuit, sed tamen adhuc mentem ab avaritia non refrænavit: cumque se in mundo pro exercenda avaritia retinet, cumque à terrenis actibus non recedit, erumpente occasionis articulo, etiam in luxuriam labitur, quam jam subigisse videbatur. Alius avaritiæ æstum vicit, sed nequaquam vim luxuriæ subdidit: cum- que explendæ luxuriæ pretium præparat, jugo quo- que avaritiæ, quàm dudum edomuit, cordis cer- vicem subdit, Alius rebellantem jam impatientiam stravit, sed inanem gloriam necdum vicit: & cum se per hanc mundi honoribus inserit, confixus cau- sarum stimulis ad impatientiam captus redit: cum- que inanis gloria ad defensionem sui animum eri- git, & illam victus tolerat, quam superavit. Alius jam inanem gloriam subdidit, sed tamen impatien- tiam necdum stravit: & cum multa resistentibus per impatientiam minatur, erubescens non implere quod loquitur, sub inanis gloriæ jugum revocatur: & hoc victus per aliud tolerat, quod plenè se vicisse gaudebat. Sic ergo ope vicaria fugitivum suum vi- tia retinent, & quasi jam amissum sub dominij sui jure recipiunt, atque ad vindictam sibi vicissim tra- dunt. Perversis itaque involuta sunt gressuum se- mita, quia etsi devictâ unâ nequitia pedem levant, regnante tamen altera, hunc in ea etiam quam de- vicerant, implicant. Aliquando verò involutis gressuum semitis & nulla culpa devincitur, & alia per aliam perpetratur. Nam sæpe furto, negatio- nis fallacia jungitur; & sæpe culpa fallacia, per- jurij reatu cumulat. Sæpe quodlibet vitium impudenti præsumptione committitur; & sæpe (quod omni culpâ sit gravius) etiam de commisso vitio superbitur. Nam quamvis de virtute nasci-

Esai. 28.  
Infra  
lib. 18.  
cap. 14.

\* al.  
nunquã

15.

elatio soleat, nonnumquam tamen stulta mens de A  
perpetrata se nequitia exaltat. Sed cum culpa culpa  
adjungitur, quid aliud quam involutis semitis at-  
que innodatis vinculis pravorum gressus ligantur?  
Unde bene contra perverſam mentem sub Judææ  
Esa. 34. c. specie per Esaïam dicitur: *Erit cubile draconum, &  
pafona struthionum, & occurrent demonia onocen-  
tauris, & pilofus clamabit alter ad alterum.* Quid  
namque per dracones, nisi malitia; quid verò stru-  
thionum nomine, nisi hypocrisis designatur? Stru-  
thio quippe volandi speciem habet, sed usum vo-  
landi non habet; quia & hypocrisis cunctis intuen-  
tibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed te-  
nere vitam sanctitatis ignorat. In perverſa igitur  
mente draco cubat, & struthio pascitur: quia &  
latens malitia callidè tegitur, & intuentium oculis  
simulatio bonitatis antefertur. Quid verò onocen-  
taurorum nomine, nisi & lubrici figurantur & elati?  
Græco quippe eloquio *ὄρε* asinus dicitur, &  
appellatione asini luxuria designatur, Propheta at-  
testante, qui ait: *Ut carnes asinorum, carnes eorum.*  
Ezech. 23. c. Tauri autem vocabulo, cervix superbiæ demonstra-  
tur, sicut voce Dominica de Judæis superbientibus  
per Psalmistam dicitur: *Tauri pingues obfederunt*  
I. sal. 21. b. *me.* Onocentauri ergo sunt, qui subiecti luxuriæ  
vitiis, inde cervicem erigunt, unde humiliari de-  
buerant. Qui carnis suæ voluptatibus servientes,  
expulsâ longè verecundiâ, non solum se amittere re-  
citudinem non dolent, sed adhuc etiam de opere  
confusionis gaudet. Onocentauris autem dæmo-  
nia occurrunt, quia maligni spiritus valde eis ad  
votum deferviunt, quos de his gaudere conspiciunt,  
quæ flere debuerunt. Ubi aptè subjungitur: [*Et*  
*pilofus clamabit alter ad alterum.*] Qui namque alij  
pilosi appellatione figurantur, nisi hi, quos Græci  
Panās, Latini verò incubos vocant: quorum nimi-  
rum forma ab humana effigie incipit, sed bestiali  
extremitate terminatur. Pilosi ergo nomine, cuius-  
libet peccati asperitas designatur, quod & si quan-  
do quasi ab obtentu rationis incipit, semper tamen  
ad irrationabiles motus tendit; & quasi homo in  
bestiam definit, dum culpa per rationis imaginem  
inchoans, usque ad irrationabilem effectum trahit.  
Nam sæpe edendi delectatio servit gulæ, & servire  
se simulat indigentiae naturæ: cumque ventrem in  
ingluviem extendit, membra in luxuriam erigit. D  
Pilofus autem alter ad alterum clamat, cum perpe-  
trata nequitia, ad aliam perpetranda provocat, &  
quasi quadam cogitationis voce, commissa jam cul-  
pa, culpam adhuc quæ committatur, invitat. Sæpe  
namque, ut diximus, gula dicit: Si abundanti ali-  
mento corpus non reficis, in nullo utili labore sub-  
sistis. Cumque mentem per desideria carnis accen-  
derit, mox quoque luxuria verba propria sugges-  
tionis facit, dicens: Si misceri Deus homines corpo-  
raliter non potest, membra ipsa coeundi apta usibus non  
fecisset. Cumque hæc quasi ex ratione suggerit,  
mentem ad libidinum effrenationem trahit. Quæ  
sæpe deprehensa, patrocinium mox fallaciæ & ne-  
gationis inquirit; reamque se esse non æstimat, si  
mentiendo, vitam defendat. Pilofus ergo alter ad  
alterum clamat, quando sub aliqua ratiocinandi  
specie, perverſam mentem culpa subsequens ex  
occasione culpæ precedentis illaqueat. Cumque  
hanc peccata dura atque aspera deprimunt, quasi  
convocati in ea concorditer pilosi dominantur: sic-  
que fit, ut semper se gressuum sententiæ deterius  
involuant, dum mentem reprobam culpa per  
culpam ligat.

Quod peccati consuetudine mens cacata nescit quo  
vadat, & libenter illecebris se subdat, quod  
exemplo Samsonis & Sedechie probatur.

## CAPUT XIII.

SE D inter hæc sciendum est, quod aliquando  
prius oculus intellectus obtunditur, & postmo-  
dum captus animus per exteriora desideria vagatur:  
ut cæca mens quod ducitur nesciat, & carnis suæ  
illecebris sese libenter subdat. Aliquando verò prius  
desideria carnis ebulliunt, & post longum usum il-  
liciti operis, oculum cordis claudunt. Nam sæpe  
mens recta cernit, nec tamen audent contra per-  
verſa se erigit: & renitens vincitur, dum hoc ipsum  
quod agit, dijudicans, carnis suæ delectatione su-  
peratur. Quia enim plerumque prius oculus con-  
templationis amittitur, & post per carnis desideria  
hujus mundi laboribus animus subjugatur, tes-  
tatur Samson ab Allophylis captus, qui postquam  
oculos perdidit, ad molam deputatus est: quia ni-  
mirum maligni spiritus, postquam tentationum sti-  
mulis intus aciem contemplationis effodiunt, foras  
in circuitum laborum mittunt. Rurſum, quia sæ-  
pe & recta operatio exterius perditur, & tamen ad-  
huc rationis lumen in corde retinetur, Propheta  
Hieremias insinuat, qui dum Sedechie captivita-  
tem narrat, ordinem captivitatis internæ denun-  
ciat, dicens: *Occidit rex Babylonis filios Sedechie*  
*in Reblatha in oculis ejus, & omnes nobiles Ju-  
da occidit rex Babylonis, oculos quoque Sedechie*  
*eruit.* Rex Babylonis est antiquus hostis, possessor  
intimæ confusionis, qui prius filios ante intuentis  
oculos trucidat: quia sæpe sic bona opera interficit,  
ut hæc se amittere ipse qui captus est, dolens cernat.  
Nam bona plerumque gignit animus, & tamen  
carnis suæ delectationibus victus, bona quæ genuit,  
amans perdit, & quæ patitur damna considerat, nec  
tamen virtutis brachium contra regem Babylonis  
levat. Sed dum videns nequitia perperatione per-  
cutitur, ad hoc quandoque peccati usu perducitur;  
ut ipſo quoque rationis lumine privetur. Unde  
Babylonis rex, extinctis prius filiis, Sedechie o-  
culos eruit, quia malignus spiritus, subductis prius  
bonis operibus, post & intelligentiæ lumen tollit.  
D Quod rectè Sedechias in Reblatha patitur. Rebla-  
tha quippe, multa hæc interpretatur. Etenim quan-  
doque & lumen rationis clauditur, qui pravo usu  
ex iniquitatis suæ multitudinè gravatur. Quoquo  
autem modo culpa prodeat, vel quibuslibet occa-  
sionibus erumpat, reproborum tamen semitæ sem-  
per involutæ sunt: ut pravis concupiscentiis dediti,  
aut bona nulla appetant, aut appetentes infirmo  
desiderio, ad hæc nequaquam mentis liberos gres-  
sus tendant. Recta enim aut non incipiunt, aut in  
ipſo fracti itinere, ad hæc minime pertingunt. Unde  
fit plerumque, ut ad morem suum lassati redeant,  
seque ab intentione animi in carnis voluptatibus  
sternant, sola quæ transeunt cogitent, nulla quæ  
secum permancant, curent. Unde & aptè subdi-  
tur: [*Ambulabunt in vacuum, & peribunt.*] In  
vacuum quippe ambulant, qui nil secum de fructu  
sui laboris portant. Alius namque adipiscendis ho-  
noribus exludat, alius multiplicandis facultatibus  
æstuat, alius promerendis laudibus anhelat. Sed  
quia cuncta hæc quisque moriens deserit, labores  
in vacuum perdidit, quia secum ante iudicem ni-  
hil tulit. Quod contra bene per legem dicitur: *Non*  
*apparebis in conspectu Domini vacuum.* Qui enim  
promerendæ vitæ mercedem bene agendo non pro-  
videt, in conspectu Domini vacuum apparet. Hinc  
de justis per Psalmistam dicitur: *Vementes autem*  
*venient in exultatione, portantes manipulos suos.*  
Ad examen quippe judicij portantes manipulos ve-  
niunt, qui in semetipsis recta opera, quibus vitam  
mereantur,

mercantur, ostendunt. Hinc de unoquoque electo **A** Psalmista iterum dicit: *Qui non accepit in vano animam suam.* In vano namque animam suam accipit, qui sola presentia cogitans; quae sequantur in perpetuum, non attendit. In vano animam suam accipit, qui ejus vitam negligens, ei curam carnis anteponeat: sed animam suam iusti in vano non accipiunt, quia intentione continua ad ejus utilitatem referunt quidquid corporaliter operantur, quatenus & transeunte opere, operis causa non transeat, quae vitae praemia post vitam parat. Sed haec curare reprobi negligunt: quia perfectò ambulantes in vacuum, vitam sequentes fugiunt, inveniunt perducunt. Melius verò à pravorum imitatione compescimur, si eorum damna ex fine pensamus. Unde bene etiam cum exhortatione subjungitur:

*Quod tepide conversantium illaqueata intentio, in saeculi hujus urbine attendenda sit, & ex alterius damno correpti, firmiter in Deum proficere debeamus: & quid sit quod virulis domi reclusis, vacca trahentes plausurum, cui Arca est impissa, ibant in directum per viam quae ducit in Bethsamis.*

## CAPUT XIV.

**C**onsiderate semitas Theman, itinera Saba, & exspectate paulisper. Theman quippe Auster, Saba autem rete interpretatur. Quid hic per Austrum, qui afflata teporibus membra dissolvit, nisi fluxa vivendi remissio: quid per rete, nisi actionis obligatio demonstratur? Qui enim dissoluta mente ea quae terrena sunt, appetunt, nec gressu libero ad Deum pergunt, ipsi se suis inordinatis conatibus ligant: cumque se fluxis conversationis suae actibus implicent, quasi remansuros in retis vinculis pedes ponunt. Ut enim paulò superius quosdam ad devictas jam culpas retrahi per aperta quadam, & non devicta vitia diximus: ita nonnulli ad ea quae reliquerant, redeunt per quadam, quae vel honestatis nomine, vel laudis honore paliantur. Nam sunt plerique, qui jam aliena non appetunt, atque ab hujus mundi jurgiis inchoate quietis amore dividuntur, erudiri sacris eloquiis sicuti, vacare supernis contemplationibus concupiscunt: nec tamen perfecta animi libertate curam rerum familiarium deserunt, cui saepe dum licite serviunt, etiam illicitis hujus mundi jurgiis implicantur: cumque terrenas res studiosè tueri desiderant, cordis requiem deserunt, quam querebant; & cum substantia fugiens continua provisione protegitur, conceptus in animo divinae scientiae sermo dissipatur: quia juxta Veritatis sententiam, obortum semen spinæ opprimunt, cum verbum Dei à memoria importunè terrenarum rerum sollicitudines expellunt. Dissolutis itaque gressibus in rete ambulant, qui dum mundum perfectè non deserunt, semetipsos gradiendo obligant, ne gradiantur. Et sunt plerique, qui non solum aliena non appetunt, verum etiam cuncta quae possederant in mundo, derelinquunt, semetipsos despiciunt, nullam presentis vitae gloriam requirunt, ab hujus mundi se actibus separant, & paene quidquid prosperitatis arripserit, calcant. Sed tamen adhuc vinculo carnalis cognationis obligati, dum amori propinquitatis indifferetè deserviunt, ad ea saepe per affectum cognationis redeunt, quae jam & cum proprio despectu subegerunt. Cumque plusquam necesse est, carnis propinquos diligunt, retracti exteriori à cordis parente dividuntur. Nam saepe quosdam videmus, quantum ad proprium studium spectat, jam presentis vitae desideria non habere, mundum & opere & professione reliquisse: sed tamen pro inordinatis affectibus propinquorum pratoria irumpere, terrenarum rerum jurgiis vacare, libertatem intimae quietis relinquere, & mundi studia in se jamdu-

S. Greg. Tom. I.

dum destructa reparare. Quò itaque isti nisi in rete ambulant, quos à presenti saeculo inchoata jam vitae perfectio solverat, sed inordinatus amor terrenae cognationis ligat? Qui enim districto studio, & non dissolutis gressibus aeternae sponsonis praemium sequuntur, sicut semetipsos pro divino amore despiciunt, sic cuncta, quibus se sentiunt praepediri, postponunt: & cum pro Deo necesse est, ut quibus valent cunctis inserviant, pro Deo privata obsequia etiam propinquis negant. Hinc est enim quòd quidam cum diceret: *Permite mihi prius ire & sepelire patrem meum*: protinus ex ore Veritatis audivit: *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade, & annuncia regnum Dei.* Qua in re notandum est, quia electus discipulus dum à parentis sepultura compescitur, hoc devotum quemque exhibere patri mortuo ex affectu carnali propter Dominum non licet, quod propter Dominum & exteris debet. Hinc rursus Veritas dicit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam; non potest meus esse discipulus.* Quo in loco videlicet, dum propinquorum odio, animae quoque nostrae odium subinfertur, patenter ostenditur, quia sic propinquos, sicut semetipsos odio habere praecipitur, ut hos ad aeterna rapientes, eorumque carnalem gratiam cum praepedit postponentes, discamus temperata eos discretionis arte & convenienter diligere, & salubriter odio habere; quatenus sic sciat per amorem odium furgere, ut valeamus eos verius per odium amare.

Hinc rursus per Moysen dicitur: *Qui dixerit patri suo & matri suae, nescio vos, & fratribus suis, ignore illos, & nescierunt filios suos: hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum, & servaverunt iudicia tua.* Ille enim scire Dominum familiariter appetit, qui pra amore pietatis nescire desiderat, quos carnaliter scivit. Gravi etenim damno scientia divina minuitur, si cum carnis notitia partitur. Extra cognatos ergo quisque ac proximos debet fieri, si vult parenti omnium verius jungi: quatenus eisdem; quos propter Deum viriliter negligit; tanto solidius diligit, quando in eis affectum solubilem copulae carnalis ignorat. Debemus quidem & temporaliter his, quibus viciniùs jungimur, plus ceteris prodesse; quia & flamma ad motis rebus incendium porrigit, sed hoc ipsum prius ubi nascitur, incendit. Debemus copulam terrenae cognationis agnoscere, sed tamen hanc cum cursu mentis praepedit, ignorare: quatenus fidelis animus divino studio accensus, nec ea quae sibi sunt in infimis conjuncta, despiciat, & haec apud semetipsum rectè ordinans, summorum amore transcendat. Solerti ergo cura providendum est, ne carnis gratia subrepat, atque à recto itinere cordis gressum deflectat, ne vim superni amoris impediatur, & surgentem mentem superimposito pondere deorsum premat. Sic etenim quisque propinquorum debet necessitatibus compari, ut tamen per compassionem non sinat vim suae intentionis impediri: ut affectus quidem mentis viscera repleat, sed tamen à spiritali proposito non avertat. Neque enim sancti viri ad impendenda necessaria propinquos carnis non diligunt, sed amore spiritualium ipsam in se dilectionem vincunt: quatenus sic eam discretionis moderamine temperent, ut per hanc in parvo saltem ac minimo à recto itinere non declinent. Quos bene nobis per significationem vaccae innunt, quae sub Arca Domini ad montana tendentes, affectu simul & rigido sensu gradiuntur, sicut scriptum est:

*Tollentes duas vaccas quae lactabant vitulos, junxerunt ad plausurum, vitulosque earum clausurunt domi. & posuerunt Arcam Dei super plausurum.* Et paulò post: *ibant in directum vacca per viam quae ducit Bethsamis, & itinere uno gradiabantur, per-*

Matth. 8. c.

18. Luc. 14. c.

Deut. 33. b.

\* al. dicitur

1. Reg. 6. b.

ibid. c.

genies & mugientes, & non declinantes neque ad dextram, neque ad sinistram. Ecce enim reclusis domi vitulis, vacca quæ sub Arca Domini plauftro religantur, gemunt & pergunt, dant ab intimis mugitus, & tamen ab itinere non demutant gressus. Amorem quidem per compassionem sentiunt, sed colla posterius non deflectunt. Sic sic necesse est ut incedere debeant, qui sacræ legis iugo suppositi, iam per internam scientiam Dei Arcam portant: quatenus per hoc, quod propinquiorum necessitatibus condolent, à cæpto rectitudinis itinere non declinent. Bethsamis quippe domus Solis dicitur. Arca ergo Domini superposita Bethsamis pergere, est eum superna scientia ad æternæ lucis habitaculum propinquare. Sed tunc verè Bethsamis tendimus, cum viam rectitudinis gradientes, ad vicina erroris latera nec pro affectu pignorum declinamus. Quorum nimirum gratia mentem nostram tenere debet, sed reflectere non debet: ne hæc eadem mens aut si affectu non tangitur, dura sit, aut plus tacta, si inflectitur, remissa. Intueri libet beatum Job, in quo divini timoris iugo colla cordis attriverat, sub quanto discretionis moderamine divinæ scientiæ arcam portat. Amisissis namque vitulis mugit, quia audita morte filiorum, in terram tonso capite corrui: sed recto tamen itinere mugiens graditur, quia os ejus in gemitu ad Dei laudes aperitur, cum protinus dicit: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Sed indifferetæ mentes hanc vivendi regulam nesciunt, & quod vias Dei dissolutè appetunt, eò ad mundi itinera stultè replicantur. Rectè igitur sanctus vir post Theman semitas, Saba itinera memorat; quia quos Auster reprobis teporis solverit, hos nimirum rete implicationis tenet. Bene autem attendit, describens, considerare hæc admonet: quia perversa agendo diligimus, sed hæc viâ in aliis dijudicamus; & quæ in nobis minus dijudicanda credimus, quàm sint turpia, in aliorum actibus cognoscimus: sicque sit, ut ad semetipsam mens redeat, & agere quod reprehendit, erubescat. Quasi enim à speculo facta facies displiceat, cum mens à vita simili in seipsa quod averteret videt. Ait ergo: [*Considerate semitas Theman, itinera Saba, & expectate paulisper.*] Ac si apertè diceret: Damna alieni teporis attendite, & tunc spem de æternis firmius sumitis, si recto cordis oculo, quod in aliis displiceat, videtis. Bene autem dicitur: [*Expectate paulisper.*] Sæpe etenim dum præsentis vitæ brevitatis quasi diu perseverantura diligitur, ab æterna spe animus frangitur, & delectatus præsentibus, desperationis suæ caligine reverbatur. Cumque longum putat quod ad vivendum sibi spatium restat, repente vitam deserens, æterna mala invenit, quæ vitare jam nequeat. Hinc est enim quod per quemdam sapientem dicitur: *Vabis, qui perdidit substantiam.* Sustinentiam videlicet perdunt, qui dum diu se immorari visibilibus aestimant, spem invisibilium derelinquunt. Cumque mens in præsentibus figitur, vita terminatur, & repente ad supplicia improvisa perveniunt, quæ decepti suis præsumptionibus, aut nunquam se contingere, aut tardè crediderunt. Hinc Veritas dicit: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* Hinc rursus scriptum est: *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.* Quia enim ad rapiendam animam propinquans minimè conspicitur, furi in nocte comparatur. Tantò igitur debet quasi semper veniens metui, quantò à nobis non valent ventura præciri. Unde & sancti viri, quia brevitatem vitæ indefinenter aspiciunt, quasi quotidie morientes vivunt: & tantò se solidius mansuris præparant, quantò & nulla esse transitoria semper ex fine pensant. Hinc quippe Psalmista veloci cursu fugere vitam peccatoris aspiciens, ait: *Pulsillum adhuc, &*

*non erit peccator.* Hinc iterum dicit: *Homo sicut fenum dies ejus.* Hinc Elaias ait: *Omnis caro fenum, & omni gloria eius sicut flos agri.* Hinc mentes præfumentium Jacobus corripit, dicens: *Quæ est vita vestra? Vapor est ad modicum parens.* Rectè ergo dicitur: [*Expectate paulisper.*] quia & immensum est quod sine termino sequitur, & parum est quidquid finitur. Longum quippe nobis videri non debet, quod cursu sui temporis tendit, ut non sit: quod dum per momenta ducitur, ipsa hoc momenta sua quæ differunt, impellant: atque unde teneri cernitur, inde agitur, ne teneatur. Bene autem beatus Job, postquam brevitatem præsentis vitæ despiciens, intulit, contra iniquos protinus in voce omnium electorum surgit, adjungens: [*Confusi sunt, quia speravi.*] Cum bonis malis reprobi ingerunt, si hos à spe intima labefactari conspiciunt, effectum deceptionis hilarescunt. Lucrum namque maximum, erroris sui propagationem deputant: quia habere se ad perditionem socios exultant. Cum verò bonorum spes interius figitur, & nequaquam malis exterioribus ad ima reclinatur, pravorum mentem confusio occupat: quia dum pervenire ad afflictorum intima nequeunt, incassum se existere crudeles erubescunt. Sanctus igitur vir dicat ex voce sua: dicat ex universalis Ecclesiæ afflictæ, gementisque constantia, quæ inter adversa reproborum, supernæ retributionis gaudium sine ullo mentis defectu desiderat, atque ad vitam moriendo perdurat: [*Confusi sunt, quia speravi.*] Ac si apertè dicat: *Quia duris persecutionibus reprobi vim mei rigoris non emolliunt, erubescens proculdubio laborem suæ crudelitatis perdunt.* Unde & mox venturæ retributionis bona, quasi jam præsentia conspiciat: & qui reatus in iudicio reprobos maneat, attendit subdens: [*Venerunt quoque usque ad me, & pudore cooperiti sunt.*] Usque ad sanctam quippe Ecclesiam in die iudicii reprobi veniunt, quia usque ad ejus tunc conspiciendam gloriam perducuntur: ut ad majora tunc reatus sui supplicia, repulsi videant quod perdidit. Tunc verò iniquos pudor cooperit: cum eos in conspectu iudicis testis conscientia addicit. Tunc iudex exterritus cernitur, sed accusator interius toleratur. Tunc omnis ante oculos culpa reducitur: & mens super gehennæ incendia, suo gravius igne cruciatur. De quibus rectè per Prophetam dicitur: *Domine exaltes manus tuas, ut non videant, videant & confundantur.* Intellectum quippe reproborum nunc merita obscurant: sed tunc cognitio reatus illuminat, ut & modo sequenda non videant: & tunc ea postquam amiserint, cernant. Nunc quippe æterna intelligere negligunt, vel appetere intellecta contemnunt: sed tunc ea intelligentes proculdubio desiderantesque conspiciunt, cum desiderata assequi nequaquam possunt. Quæ etiam beati Job verba amicis ejus specialiter congruunt, qui duris objurgationibus sancti viri animum labefactare conabantur. Ait enim: [*Confusi sunt, quia speravi.*] Ac si apertè diceret: *Dum me stultis increpationibus ad desperationem deflectere nequeunt, ipsi temeritatis suæ insaniam confundunt.* [*Venerunt quoque usque ad me, & pudore cooperiti sunt.*] Ac si dicat: *Videntes corporis vulnera, sed mentis constantiam nescientes, dum me de injustitia increpare ausi sunt, usque ad me necdum venerunt: sed dura me invectione pulsantes, dum stare animum inter adversa deprehendunt, quasi ad me venientes erubescunt.* Eò enim ad me veniunt, quò me in intimis agnoscent: ibique eos pudor cooperit, ubi me stantem fortiter exterior factura non tangit. Sunt verò nonnulli, qui timere Deum nesciunt, nisi cum vel in se experta, vel in aliis cognita adversitate terrentur: quos prospera per audaciam elevat, contraria per infirmitatem turbant. Ex quorum scilicet numero amicos

Psal.  
102. c  
Esa. 40.  
Jacob. 4.  
d

Esa. 25.

211

Matth.  
25. a  
1. Thess.  
5. a

Psal. 116.  
6

suos esse beatus Job redarguit, cum protinus subdit, dicens: *Nunc venistis, & modo videntes plagam meam timeis.* Ac si aperte dicat: Ego tunc Deum timui, cum fultus prosperis, flagellorum detrimenta non sensi. Vos autem quia ex amore Deum non metuitis; ex sola eum verberis percussione formidatis. Sequitur: [*Nunquid dixi, Afferte mihi, & de substantia vestra donate mihi? Vel, Liberate me de manu hostis, & de manu robustorum eruite me?*] Si ad personam sanctae Ecclesiae haec verba referuntur, quia amicos beati Job haereticorum tenere speciem diximus, recte se asserit eorum substantiam non indigere. Haereticorum quippe substantia, carnalis sapientia non inconvenienter accipitur: quia dum perversè fulciuntur, quasi in verbis se divites ostendunt: quam eò sancta Ecclesia non querit, quòd hanc spiritali intellectu transcendit. Sape verò haeretici cum perversa de fide asserunt, nonnulla contra antiquum hostem subtilia de carnis tentationibus loquuntur. Nam nonnumquam eò in se, quasi sana membra operationis offendunt, quòd in fide vulnerati serpentis morfu in capite tenentur. Sed sancta Ecclesia audire ab his subtilia de tentationibus non vult: quia dum vera quaedam de conversatione asserunt, ad falsa perfidia perducunt. Unde recte nunc dicitur: [*Nunquid dixi, Afferte mihi: & de substantia vestra donate mihi? vel, Liberate me de manu hostis, & de manu robustorum eruite me?*] Manum quippe hostis, satanae fortitudinem vocat: & manum robustorum, vires malignorum spirituum appellat. Quos idcirco robustos memorat: quia dum absque carnis infirmitate sunt conditi, pravis eorum adnibus imbecillitas adjuncta non obviat. Hoc verò quod subditur: [*Docete me, & ego tacebo: & si quid forte ignoravi instruite me.*] Sub cuius distinctionis libramine pendeat, incertum videtur: utrum ad hoc subjunctum sit, quod intulerat: [*Nunquid dixi?*] an certè disjuncta à superioribus sententia promatur, quasi per increpationem dicatur: [*Docete me, & ego tacebo: & si quid forte ignoravi, instruite me.*] Quod tamen utriusque distinctioni convenit: quia ab intellectus sani tramite per neutram recedit. Sed quia haec in transcurso per allegoriam diximus, restat ut moraliter historiae verba perferretur.

*Quanta sit securitas servorum Dei, & in reprehendis vitis sine personarum acceptione auctoritas: & quod sanctus quisque prudentiam, & vires, & opes carnalium contemnat.*

CAPUT XV.

22. **B**EATUS Job damna rerum pertulerat: malignorum spirituum percussione traditus, dolores vulnerum sentiebat: sed sapientem Dei stultitiam diligens, stultam mundi sapientiam mentis despectu calcaverat. Igitur contra mundi divites pauper, contra potentes oppressus, contra sapientes stultus dicitur. Tria respondit, quia nec pauper eorum substantiam, nec oppressus adjutorium contra robustos, nec stultus doctrinam sapientiae carnalis quaerit. Sanctus etenim vir, quia mente super semetipsum rapitur, & pauper inopia non angustatur, & oppressus nihil patitur, & voluntarie stultus carnalem sapientiam non miratur. Hinc est, quòd oppressus Paulus pauper dicit: *Aporiamur, sed non desistimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deiecimur, sed non perimus.* Hinc est, quòd sapientiam sanctae stultitiae insinuans, ait: *Quae stultitia sunt mundi, elegit Deus: ut confundat sapientes. Et: Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* Hinc & gloriam oppressionis, & divitias desiderata paupertatis aperiens, dicit: *Quasi mortui estis, & ecce vivimus: ut castigati, & non mortificati: quasi vixistis, semper autem*

S. Greg. Tom. I.

**A** *gaudentes: sicut egenes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, & omnia possidentes. Libet inter haec oculos mentis attollere, & electos Dei exterius oppressos, quanta intrinsecus arce praesideant videre. Cuncta quippe quae foris eminent, occultis eorum obtutibus per despectum jacent. Nam super se interius rapti, in alto animum figunt: & quaeque in hac vita patiuntur, quasi longe infra labentia atque à se aliena conspiciunt: atque, ut ita dixerim: dum mente extra carnem fieri decertant, paene ipsa quae tolerant, ignorant. In horum profecto oculis quidquid temporaliter eminent, altum non est. Nam velut in magni vertice montis siti, praesentis vitae gaudia plenè despiciunt: seque ipsos per spiritalem celsitudinem transcendentes, subiecta libimet intus vident, quaecumque per carnalem gloriam foris tument. Unde & nullis contra veritatem potestatis parèunt: sed quos attolli per elationem conspiciunt, per spiritus auctoritatem premunt. Hinc est enim, quòd à deserto Moyses veniens, Aegypti Regem ex auctoritate aggreditur, dicens: *Haec dicit Dominus Deus Hebraeorum: Vt quequo non vis subijci mihi? Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi.* Cui dum plagis pressus Pharao diceret: *Ite, sacrificate Deo vestro in terra ista;* auctora protinus auctoritate respondit: *Non potest ita fieri, abominaciones Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro?* Hinc est, quòd peccantem Regem, Nathan aggreditur: cui prius similitudinem perpetratae praevaticationis obijciens, eumque reum per proprii iudicij vocem tenens, protinus adjunxit, dicens: *Tu es ille vir, qui fecisti hanc rem.* Hinc est, quòd vir Dei ad destruendam idololatriam, Samaritiam missus, Jeroboam regem super altare thura jacentem, non Regem veritus, non formidine mortis pressus, contra altare intrepidus auctoritatem liberae vocis exercuit, dicens: *Altare altare, haec dicit Dominus Deus: Ecce filius nascetur domus David Iosias nomine: & immolabit super te sacerdotes excelsum.* Hinc est quòd Achab superbus idolorum servitio subactus, cum increpare Eliam praesumeret, dicens: *Tu ne es ille vir, qui conturbas Israel?* Elias protinus superbi Regis stultitiam, objurcationis libera auctoritate percussit, dicens: *Non ego turbavi Israel: sed tu & domus patris tui, qui dereliquisti mandata Domini, & secuti estis Baalim.* Hinc est quòd Elisaeus veram magistri celsitudinem sequens, Joram filium Achab ad se cum Josaphat rege venientem ex reatu perfidiae confudit, dicens: *Quid mihi & tibi est? vade ad prophetas patris tui & matris tuae. Vivit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto, quòd si non vultum Josaphat regis Iudee crucifecerem, nec attendissem quidem te, nec respexissem.* Hinc est, quòd idem vir Naaman ad se cum equis curribus venientem, ante ostium domus fixit: & talentorum copia ac vestium fulso non occurrere non januam domus aperuit, sed ut lavari septies in Jordane debuisset, per nuncium iussit. Unde & idem Naaman iratus recedebat, dicens: *Putabam quòd egredieretur ad me, & stans invocaret nomen Dei sui.* Hinc est, quòd Petrus, cum eum sacerdotes ac principes etiam per flagella saevientes, in nomine Jesu loqui prohiberent, & cum magna protinus auctoritate respondit, dicens: *Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum, iudicate. Non enim possumus, quae vidimus & audivimus, non loqui.* Hinc est, quòd Paulus cum resistentem contra veritatem sacerdotum principem cerneret, cumque minister illius alapa percussisset, non maledictum perturbatus intulit; sed repletus Spiritu sancto, libera voce prophetavit, dicens: *Percutiet te Deus paries dealbate. Et tu sedens iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti?* Hinc est, quòd Stephanus contra vim persecutorum auctoritatem vocis exercere, nec moriturus*

ij

rcrc,

22. 7. f. expavit, dicens: *Dura cervice, & incircumcisi corde & auribus: vos Spiritu sancto resistitis, sicut patres vestri, & vos.* Sed quia sancti viri ad verba tante altitudinis zelo veritatis, non autem vitio elationis exiliunt, ipsi patenter indicant, qui factis dictisque aliis & quanta humilitate polleant, & erga eos quos redarguunt, quanta charitate fervent, manifestant. Superbia quippe odium generat, humilitas amorem. Verba itaque, quæ amor exasperat, profectò ex fonte humilitatis emanant. Quomodo ergo Stephanus proferre increpationem per elationem potuit, qui pro eisdem quos increpaverat, ad deteriora crescentibus, seque lapidantibus, flexis genibus oravit, dicens: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum?* Quomodo Paulus contra gentis suæ sacerdotem ac principem asperitatis verba superbiens intulit, qui humilitate se etiam discipulorum servitio subternit, dicens: *Non enim nosmet ipsos predicamus, sed Dominum nostrum Iesum Christum: nos autem servos vestros per Christum?* Quomodo Petrus per elationem principibus restitit, quorum errori compatiens, reatum velut excusat, dicens: *Scio quia per ignorantiam fecistis, & sicut principes vestri? Deus autem, qui præunxit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, implevit sic.* Quos ad vitam misericorditer trahit, dicens: *Poenitemini igitur & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Quomodo Elisæus videre Naaman ex elatione noluit, qui non solum se conspici, sed teneri etiam à muliere permisit? de qua scriptum est: *Cumque venisset ad virum Dei in montem, apprehendit pedes eius: & accessit Giezi, ut amoveret eam, & ait vir Dei: Dimitte eam, anima enim eius in amaritudine est.* Quomodo Elias superbo Regi increpationis verba per tumorem intulit, qui ante ejus currum humiliter cucurrit: sicut scriptum est: *Accinctisque lumbis currebat ante Achab.* Quomodo vir Dei Jeroboam præsentiam ex elatione despexit, qui arentem dexteram ejus salutis pristinæ protinus ex pietate reparavit: sicut scriptum est: *Cumque audisset Rex sermonem hominis Dei, quem inclamaverat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens: Apprehendite eum; & exaruit manus ejus, Et paulò post: Oravit vir Dei faciem Domini; & reversa est manus Regis ad eum, & facta est sicut prius fuerat.* Quia enim superbia gignere virtutes nescit: quanta ex humilitate prodit vox increpationis, ostenditur, quam signa comitantur. Quomodo Nathan contra David regem per verba increpationis tumuit, qui cum increpanda culpa deesset, in terram se in conspectu ejus \* protinus stravit? sicut scriptum est: *Nunciaverunt regi dicentes: Adest Nathan propheta. Cumque introisset ante conspectum Regis, adoravit eum pronus in terra.* Quomodo Moyses Regi Ægyptiorum liberè resistens, cum despiciere potuit, qui Deo familiariter colloquens, sequentem se Jethro cognatum suum humilis adoravit? Cujus etiam consilio tantam obedientiam præbuit, ut post secreta Dei colloquia, magnum inde lucrum duceret, quod foris ab ore hominis audiret. Ex aliis ergo Sanctorum factis discimus, quid de aliis pensare debeamus. Sancti etenim viri, nec ex elatione sunt liberi, nec ex timore submissi: sed cum rectitudo eos ad libertatem vocis erigit, consideratio infirmitatis propriæ in humilitate custodit. Culpas quippe delinquentium etsi ex alto increpantes feriunt, semetipsos tamen apud se subtiliùs judicantes, quasi in abjectis ponunt: & quò prava in aliis insequuntur, eò ad reprimendos se atrociores redeunt: rursusque quò sibi met meliora agentibus nequaquam parcunt, eò vigilantius aliena facta reprehendunt. Quid enim de humana potentia mirari exterius poterunt, qui semetipsos quoque despiciunt, etiam cum intimæ pene jam arcem sublimitatis apprehendunt? Id-

A circo ergo bene foris dijudicant altitudinem terrenæ celsitudinis: quia intus oculum non gravat pondus tumoris. Unde & beatus Job cum in amicis dura loquentibus terrenam prudentiam, vires, substantiamque despiceret, dicens: [ *Numquid dixi, Afferte mihi, & de substantia vestra donate mihi: vel, Liberate me de manu hostis, & de manu robustorum eruite me? Docete me, & ego tacebo; & si quid forte ignoravi, instruite me.* ] Quid de seipso sentiat, paulò inferius manifestat, dicens: [ *Super pupillum irruitis.* ] Luce itaque clariùs patet, quantè se infirmitatis conspiciat, quem pupillum vocat. Sequitur:

B *Quòd mundus debet esse à vitiis, qui aliorum culpas arguit.*

## CAPUT XVI.

Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum è vobis nullus sit qui possit me arguere? ] Mundus ipse esse à vitiis debet, qui curat aliena corrigere, ut terrena non cogitet, ut desideris infimis non succumbat: quatenus tantò perpicaciùs aliis fugienda videat, quantò hac ipse per scientiam & vitam veriùs declinat: quia nequaquam purè maculam in membro considerat oculum, quem pulvis gravat: & superjectas sordes tergere non valet manus, quæ lutum tenet. Quod juxta antiqua translationis seriem, bene ad David erga exteriora bella laborantem, per significationem divina vox inuit, cum dicit: *Non tu edificabis mihi templum, quia 2. Reg. 4. vir sanguinum es.* \* Dei autem templum ædificat, 7. & 16. qui corrigendis atque instituendis proximorum \* al. mentibus vacat. Templum quippe Dei nos sumus, Deo qui ad veram vitam ex ejus inhabitatione construimur, Paulo attestante, qui ait: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Sed vir sanguinum templum Deo ædificare prohibetur: quia qui adhuc actibus carnalibus incumbit, necesse est ut instruere spiritaliter mentes proximorum erubescat. Bene ergo dicitur: [ *Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum è vobis nullus sit qui me possit arguere?* Ac si apertè diceretur: *Qua temeritate audita reprehenditis, qui percussione meæ causas ignorantem, adhuc reprehensibilia profertis?* Sequitur:

*De otioso & inordinato verbo.*

## CAPUT XVII.

Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis. ] Duo sunt genera locutionum importuna valde & noxia generi humano. Unum quod curat etiam perveria laudare: Aliud quod studet semper etiam recta corripere. Illud deorsum cum fluvio ducitur, hoc verò contra fluentia veritatis obferre & alveum conatur. Illud metus premit, hoc elatio erigit. Illud gratiam ex favoribus captat, hoc iram, ut ex certamine ostendatur, exagitat. Illud in promptu subjacet, hoc semper è diverso tumet. Ex hujus ergo qualitate beatus Job amicos suos fuisse redarguit, cum dicit: [ *Ad increpandum tantum eloquia concinnatis.* ] Sed unde usque ad injusta increpationis audaciam pervenitur, protinus innotuit, cum subjunxit: [ *Et in ventum verba profertis.* ] In ventum enim verba proferre, est otiosa dicere. Nam sæpe dum ab otiosis verbis nequaquam lingua compescitur, ad temeritatem quoque stultæ increpationis effrænatur. Quibusdam enim ruinæ suæ gradibus, desidiofa mens in foveæ lapsus impellitur. Nam dum otiosa verba cavere negligimus, ad noxia pervenimus: ut priùs loqui aliena libeat, & postmodum detractionibus eorum vitam, de quibus loquitur, lingua mordeat: quandoque autem usque ad apertas contumelias erumpat.

Hinc irarum seminantur stimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faces odiorum, pax tota extinguitur cordium. Unde bene per Salomonem dicitur: *Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum.* Aquam quippe dimittere, est linguam in fluxum eloquij relaxare. Quò contrà & in bonam partem afferit, dicens: *Quò contrà & in bonam partem afferit, dicens: Qui ergo dimittit aquam, caput est iurgiorum: quia qui linguam non refrænât, concordiam dissipat.* Unde è diverso scriptum est: *Qui imponit sulto silentium, iras mitigat.* Quia autem multiloquio quisque serviens, re-ctitudinem iustitiæ tenere non possit, testatur Pro-phetâ, qui ait: *Vir linguosus non dirigitur super ter-ram.* Hinc Salomon iterum ait: *In multiloquio peccatum non deerit.* Hinc Esaias dicit: *Cultus iustitiæ silentium: videlicet indicans, quia mentis iustitiæ desolatatur, quando ab immoderata locutione non parciatur.* Hinc Iacobus dicit: *Si quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* Hinc rursum ait: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram,* Hinc ite-rum adjungit: *Lingua inquietum malum, plena ve-neno mortifero.* Hinc per semetipsum nos Veritas admonet, dicens: *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicii.* Otiosum quippe verbum est, quod aut ratio-ne iustæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. Si ergo ratio de otioso sermone exigitur pen-sandum valde est, quæ pœna illud multiloquium sequatur, in quo etiam per superbiæ verba peccatur. Sciendum quoque est, quòd ab omni re-ctitudinis statu depereunt, qui per noxia verba dilabuntur. Humana etenim mens, aquæ more, & circumelusa ad superiora colligitur, quia illud repetit, unde de-scendit; & relaxata deperit, quia se per infima inu-tiliter spargit. Quot enim supervacuis verbis à si-lentij sui censura dissipatur, quasi tot rivis extra se ducitur. Unde & redire interius ad sui cognitio-nem non sufficit: quia per multiloquium exterius sparsa, vim intimæ considerationis amittit. Totam igitur sese insidiantis hostis vulneribus detegit: quia nulla se munitione custodiæ circumcludit.

Unde scriptum est: *Sicut urbs patens, & absque murorum ambitu: ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Quia enim murum silentij non habet, patet inimici jaculis civitas mentis: & cum se per verba extra semetipsum ejicit, apertam se adversario ostendit: quam tantò ille sine labore superat, quantò & hæc eadem quæ vincitur, contra semetipsum per multiloquium pugnat. Sed inter hæc sciendum est, quia cum pavore nimio à locutione restringimur, interdum plusquam necesse est, intra claustra silentij coartamur: & dum linguæ

vitia incautè fugimus, occultè deterioribus impli-camur. Nam sæpe dum ab eloquio immoderatè compefcimur, grave multiloquium in corde tole-ramus: ut eò plus cogitationes in mente ferveant, quòd illas violenta custodia indiscreti silentij angu-stat: & plerumque tantò latius diffluunt, quantò se esse securiores aestimant: quia foris à reprehensio-ribus non videntur. Unde mens nonnumquam in superbiam\* attollitur, eosque quos loquentes audit, quasi infimos conspiciat. Cumque os corporis clau-dit, quantum se vitis superbiendo aperiat, non agnoscit. Linguam etenim premit, cogitationem erigit; & cum se per negligentiam minimè consi-derat, tantò apud se cunctos liberiùs, quantò & & secretiùs accusat. Plerumque autem nimis taciti cum nonnulla injusta patiuntur, eò in acriorem do-lorem prodeunt, quòd ea quæ sustinent, non loquun-tur. Nam si illatas molestias lingua tranquillè di-ceret, à conscientia dolor emanaret, Vulnera enim clausa plus eruciant, quia cum putredo, quæ intrin-secus fervet, ejicitur, ad salutem dolor aperitur. Plerumque nimis taciti dum quorundam mala respiciunt, & tamen in silentio linguam premunt, quasi conspectis vulneribus usum medicaminis sub-trahunt: & eò mortis auctores fiunt, quòd virus, quod poterant ejicere loquendo, noluerunt: unde & immoderatum silentium si in culpa non esset, Propheta non diceret: *Væ mihi quia taci.* Quid ergo inter hæc, nisi studiosè lingua sub magni mo-deraminis libratione frænanda est, non insubili-ter obliganda: ne aut laxata in vitium defluat, aut restricta etiam ab utilitate torpescat? Hinc namque per quemdam sapientem dicitur: *Sapiens tacebit usque ad tempus: ut nimirum cum opportu-num considerat, postpositâ censurâ silentij, loquendo quæ congruunt, in usum se utilitatis impendat.* Hinc Salomon ait: *Tempus tacendi, & tempus lo-quendi.* Discrete quippe vicissitudinum pensanda sunt tempora: ne aut cum restringi lingua debet, per verba se inutiliter solvat: aut cum loqui uti-liter potest, semetipsum pigrè restringat. Quod bene Psalmista considerans brevi postulatione com-plexus est, dicens: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiâ labiis meis.* Ostium namque aperitur & clauditur. Qui ergo ori suo nequaquam poni obstaculum, sed ostium petiit, apertè docuit quòd & per disciplinam retineri lingua debeat, & ex necessitate laxari: quatenus os discretum & con-gruo tempore vox aperiat, & rursum congruo raci-urnitas claudat. Quod quia vel amici beati Job, vel omnes hæretici, quorum hi speciem tenent, ser-vare nesciunt, in ventum verba proferre perhiben-tur: quia nimirum dicta quæ discretionis pondus non solidat, aura levitatis portat.

